INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS, A IOANNE CALVINO conscriptæ, compendium simul, ac methodi enarratio.

Per Edm. Bunnium Sacræ Theologiæ Baccalaureum.

LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius impensis Georgij Bishop.
1579.

Calvin

Not in STC.

Not in STC

1482 aa 8

Author Libello.

Ergo libelle tuo rursus ne parce labori:
Paruus es? at paruum parua creare iuuet.
Quod si lectori Caluinum non malè notum
Reddes, tunc ausim dicere, magna dabis.
Quẽ licet extollãt omnes, maior tamẽ omni
Laude sua fuerit: sic referásque velim.

STVDIOSÆ IVVENTVTI OXONIENSI EDM. BVNNIVS S.

MVLTI profectò sunt, quibus me, meaq; omnia secundum Deum, ne dicam plus quàm meipsum debeo. Verùm si in omnibus officijs nostris obeundis gradus quidam esse possunt, vt non omnibus æquè, sed alijs magis quàm alijs teneamur obstricti (quod, & in perfectissimo illo diuini amoris exemplari nobis commendatum, & sacris literis non tantùm permissum, sed & præceptum est: si tamen Spiritu, non carne ducamur) equidem non video quibus primas potiùs deferam, méve plus debere existimem, quàm ijs quorum beneficio in suauissimam hanc lucem primùm prodij, ac deinde enutritus, fictus etiam, ac formatus sum. Quorum nomine, etsi parentes vel ipse intelligam, & satis id obuium, atque perspicuum cuique sit: tamen dissi-

mulandum non est, me vno aspectu non assequi omnes, quibus hanc gratiam deferendam censeo. Nam quoties hanc lucem quis intuetur, eiusq; vsuram sibi concessam esse reminiscitur, eum non solùm voluptate qua decet perfundi, verumetiam ad Deum, eius opificem & largitorem, velit nolit, quasi manu deduci necesse est. Fieri enim non potest, vt Deum penitus ignoret, istis quicunque solidè gaudet. Hic verò vbi ad Deum accessimus, pro summa, & solita bonitate sua (quò magis eam testatam faciat, & creaturas atque opera sua maiore vestiat honore & gratia) non totos in eius vnius admiratione detinere, sed aliquousque ad creaturas dimittere solet. partim, vt in eis, tanquam in speculis contemplemur multò maiora, quàm primo aspectu præ se ferant: partim, vt erga eas ipsas, quarum ministerio nobis benefacere solet, aliqua animi gratitudine vtamur: non vt in creaturis subsidamus, sed vt earum adminiculo, veluti alis quibusdam, ad eum vnum contendamus. Hinc fit, vt hanc ipsam vitam, quam vnicè Deo acceptam fero, parẽtibus etiam quodammodo tribuam: eamq; non tantùm, vt in se est, vmbratilem, terrenam, & caducam habeam, sed potiùs

tiùs veluti arram vel præludium illius, quæ vera, cælestis, & sempiterna est: eoq; magis ob hanc causam parẽtes in honore habeam, quo magis ad Dei gloriam, & officij mei rationem conducit, vt quanti hanc eius bonitatem æstimem, eiusmodi notis testatam faciam.

Atqui, si in terrena hac vita relucere debet tam egregium diuinæ bonitatis specimen, quantò magis si accedit illud, quod si absit, hæc ipsa vita iucunda non est, imo nec vita censeri potest: sin verò adsit, nihil hîc tam insipidum esse potest, quod non summa sit voluptate conditum? firmam, & inconcussam fidem dico, quæ Dei gratiam in Christo intuita, omnia sibi læta, faustaq; pollicetur. Ex hac si quid voluptatis capio (capio autem permultum, quodq; me facilè euehat supra omnes molestias huius vitæ, etsi quandoque non sine multo certamine) quamuis id totum quantum quantum est, vni Deo acceptum: fero: quum tamen eius bonitati sic visum fuerit, vt nobilissimæ illius academiæ cultura me in agnitionem Christi perduceret, eam certè in hac causa (vt leuissimè dicam) præterire non debui. Quin potiùs, si æquis oculis rem intueamur, liquebit opinor, quicquid aut natura dictat,

aut ratio ſuadet, aut etiam Domini præceptum de parentibus in honore habendis ſeueriſſimè exigit, id omne, non tantùm ad eos qui naturâ parentes ſunt referri debere, ſed etiã ad omnes, à quibus propenſa & paterna animi voluntate adiuti ſumus: maximè verò omnium ad eos, quorum induſtria & ſedulitate, & bonas literas, & Chriſti fidem ſumus conſecuti. Quod ſi verum eſt (de quo nemo ſanus vnquam dubitabit) nemo eſt qui miretur, ſi communi noſtrûm omnium Matri, me tantum hoc nomine debere fatear, vt nunquam ſoluendo eſſe poſſim: cuius ſcilicet beneficio adeptus ſum, quicquid id genus Domino complacuit in me conferre. quod quantumuis exiguum, ſecundum humanam rationem cuiquam (vt certè in ſe eſt) videatur, à me tamen facile, vt dixi, extorquet, vt hæc ipſa vita chara ſit, & me vixiſſe nunquam pœniteat. Et, ne quid maius dicam, hoc tamen ſi addidero, verum erit, nihil omnino eſſe, in quo faciliùs deprehendere ſoleo, quàm arctus & anguſtus ſit animus humanus, quàm quũ animo vel laudes concipiendæ, vel gratiæ Deo agendæ mihi ſint, quod miſerum me, & Euangelij ſui luce colluſtrare, & vera fide in Chriſtum inſerere non eſt dedignatus. Quæ omnia

nia si quo decet loco habeã, etsi vnum Deum largitorem agnoscam, nec quicquam de gloria eius delibem, quod alijs deferam: tamen non potui, nec vniuersos, nec singulos (quorum ministerium mihi in hoc commodum cessit) imò nec ipsum locũ, summa animi gratitudine, & singulari quadam reuerentia non prosequi.

Quod verò ad externam aliquam officij mei testificationem attinet, id non magis summa rerum omnium Matris affluentia capere, quàm tenuitas mea persoluere potest. Nam primò quòd ad me ipsum spectat, etsi me nulla inopia premeret, etsi voluntatem meam nulla constringeret angustia, sed vndiquaque probè instructus ac paratus essem, omnigq; facultatis genere plurimùm valerem: si tamen in referenda gratia, non tam aliquid retulisse, quàm paribus officijs (si fieri potuit) beneficia accepta compensasse oportet (quod quidem & natura duce, & ratione consultore viri boni semper quantum in se est, libentissimè faciunt) tanto equidem cumulo beneficiorum obruor, vt nunquam, non modò non referenda, sed ne cogitanda quidem gratia, ea consequi possim. mihi enim spes mea, quam in Christo repositã habeo, hæc omnia chariora fecit,

quàm vt ſpes ſit futurum eſſe, ea vt vnquam officijs meis æquare valeã. Iam verò vt illud quoque in hanc rationem veniat, nemini, certè obſcurum eſſe poteſt, quàm nullo indigeat, omni bonorum genere affluat, celeberrimum illud Gymnaſium Oxonienſe, quàm fortunis ſit amplis inſtructum ad tuendam vitam ſtudioſorum, eoſque rebus omnibus neceſſarijs cumulandos, quàm ſit omni diſciplinarum genere redundans, quàm æquis legibus ſanctiſque inſtitutis politiam ſuam formatam & firmatam habeat: quodq; ex iſtis facilè conſequi ſolet, quàm multis abundet, qui non leuiter inſtructi, ſed qui egregiè & præclarè eruditi ſunt, quique ex abditis omnium literarum fontibus plurimum hauſerunt. in quibus adoleſcentia, optimæ ſpei notis refulgens, amabilis; prouectior ætas, maturitate plena, digna quæ in ſummo pretio habeatur; ſenectus autem non ſolùm literis aſſuefacta, ſed etiam longo rerum vſu edocta, ingenio pollens, eruditione clara, ſermone grauis, actione præſtans, in primis veneranda. Quæ omnia, vtcunque fuſiùs explicata, multitudine ſua magis obruerent, tamen vt preſſius dicta, leuiterque attacta ſunt, ſic omnia replent, vt nullum officijs meis locum relinquant.

quant. Quò fit, vt non tam eniti vt illud augeam, quàm ſuam illi plenitudinem gratulari debeam: quemadmodum ex animo, ei hoc nomine vehementer gratulor.

Nec tamen hæc quam dixi copia illius impedit, quominus aliqua ſaltem animi gratitudine officium meum teſtatum faciam. Licet vniuerſi omnibus affluant, tamen ex his fieri poteſt eſſe nonnullos, quibus ſingulis aliorum labores vſui eſſe poſſint. Et quanuis omnia ſingulis ita adſint, vt nulla ex parte vel minima quidem vrgeantur inopia, nec hoc etiam obſtat, quominus illi, quos multo ſuo ære ſibi obſtrictos habent, debitum ſi non reddant, agnoſcant tamen. Quum igitur mihi reliquum ſit, vt quos augere nequeo, ſumma tamen obſeruantia vniuerſos, pariq; beneuolentia ſingulos proſequi liceat, mei certè officij ratio poſtulabat, vt facultate mea probè explorata, ſi quid eſſet quod vobis gratum, acceptúmque eſſe poſſet, id nulla interpoſita mora ſedulus agerem, nec vnquam ſtudium intermitterem, donec aliquādo voti compos præſtarem, quod eum deceat, qui veſtra in eum merita nulla vnquam obliuione ſepelire valet. Id quia omnibus ex æquo præſtare nequeo,

quia maxima pars vestrum omnibus rebus sic affluit, vt illis nulla quidem in re agrestis mea musa vsui esse possit, idcirco iuniores selegi quorum gratia labores hos meos suscipere volui. A quibus quoniam illud mihi petendum est, vt æqui boniq; consulant quicquid mihimet ipsi primùm, deinde & alijs quibusdam adolescentulis procurationis meæ elaborauí, & nunc vobis, Iuuenes Oxonienses, vestróq; nomine alijs omnibus in hoc libello oblatum volui, etsi eam gratiam facilè mihi polliceor, (quî enim fieri potest, vt, qui bonis literis se totos excolendos dederint, vnquam committant, vt beneuolis reponendam esse gratiam nescire videantur?) tamen, quoniam hæc quam dixi gratia, secundum offerentis animum numerari solet, ne iniqua videatur hæc mea postulatio, id nunc mihi faciendum putaui, vt omnes intelligatis, quo animo, quóve consilio in hac palæstra fuerim versatus.

Cùm nuper Oxoniæ, vt scitis, agerem, postquã aliquot annos in studio Theologiæ posuissem, in eaque vtcunque more meo versatus essem, etsi quæ habui exercitia, ea sint beneuolentia à vobis excepta, vt studiorum meorum præmium aliquod, idemq; satis amplum & honorificum, vobis iu-

bis iubentibus referre mihi liceret: tamen ſub id tempus, viæ qua inceſſi tædere me cæpit, & multus frequenſq; cogitaui, quo pacto itineris mei errores corrigere poſſem. tantumq; abfuit, vt eam palmam iure mihi promeritus eſſe viderer, vt nihil ferè in eum vſque diem me didiciſſe iudicarem, præter hoc vnum, quod, etſi multum viæ emenſus eſſem, adhuc tamen nihil aliud quàm à recta via exorbitaſſem. Non quòd aut profeſſionis meæ, aut eorum quæ alios pro concione docui, vnquam pœnituerit (quum probè mihi conſciius ſim, me, & à Domino Ieſu ad id munus euocatum ac deſignatum eſſe, &, nihil quod ſciam vnquam docuiſſe, quod ad veram fidem non conduceret) ſed quòd faciliorem & apertiorem viam eſſe ad Theologiam ſuſpicarer, quæq; compendio placeret magis, quam ea fuit qua ego inceſſeram. Nec tamen dubito, quin eandem viam ingreſſus ſim, quàm alij ferè omnes qui Theologiæ incumbunt, emetiuntur: niſi aut fœliciore marte, aut experto quopiam monitore adiuti ſint. Quo etiam nomine, eo magis indolui, quò clariùs iſtos meos errores, non mihi proprios, ſed cum pleriſq; alijs communes vidi.

Id vbi pro comperto habui, cœpi etiamnum animum adijcere ad inueſtigandum, quidnam eſſet illud, quo factum eſt, vt de via declinarem, atq; in iſtos errores imprudens inciderem. ac tandem reperi hoc vnum fuiſſe, quod ad Theologiæ ſtudium animum adijciens, quum vniuerſis paulò diutiùs inſiſtendum eſſet, ocyus ad ſingula quàm oportuit, ac nimis feſtinanter deſcẽdiſſem. Nam veluti medicis vſu venit, vt ſi quì ſint, qui inconſulta quadam feſtinatione partis alicuius curationem ediſcere volunt, priuſquam in totius corporis conſideratione aliquantiſper verſati ſunt, nihil prorſus efficiant: ſic etiam Theologiæ ſtudioſos vagis ac perplexis erroribus implicari neceſſe eſt, niſi ſummam Theologiæ priùs imbiberint, quàm ad minutiora conſectanda ſe applicuerint. Quod quidem eò magis cauendum cenſeo, quò naturâ videmus omnes eo ingenio præditos eſſe, vt ijs quæ primùm diſcenda erant poſthabitis, ad vlteriora ſemper, nimia feſtinatione, eademq; admodum inconſiderata properemus, quaſi, non quàm fideliter, ſed quantum quiſq; viæ emenſus ſit, ponderari ſoleat: & non multum probè tenuiſſe, ſed multa leuiter ac curſoriè pertranſijſſe, hoc demum

ſtudio-

ſtudioſorum ſit. Quocirca, aliquam ſtudiorũ immutationem neceſſariò mihi faciendam eſſe videbam: niſi extra viam ſemper errare, quàm in viam aliquando redire mallem.

At verò ne ſic quidem portum deſideratum pertingere potui: fluctibus quibuſdam interuenientibus, qui non tantùm introitum prohibebant, ſed etiã in altum rurſus efferebant. Si enim vniuerſis incunbendum eſt, hîc præcipuè, ſi vnquam alias cauendum eſt, cui te dedas. Non enim omnes, & quidem pauci admodum ita in ſingulis, ramis, ramuſculis, fructu, folijs, radice, trunco, cortice, qualitate, natura verſati ſunt, vt vniuerſam arborem probè perfectéque calleant. Sed veluti geographi, regionem aliquam, quam non admodum perſpectam habent, tamen deſcripturi, quas partes ipſi ignorant, ciuitatibus aut populis non replent, ſed vaſtis ſolitudinibus, paludibus, montibus, ſyluis, aut feris, atque ita ſcientiam profitentes inſcitiam produnt, alióſq; vnà in errorem impellunt: ita etiam nonnulli ex ijs qui Theologiam profitentur, ac diſcipulos quos inſtruant habere volunt, non ita ſingula ipſi didicerunt, vt vniuerſa docere queant; ac proinde, me ſingula quidem, niſi incerta, aut confuſa me-

thodo. Quorum etsi laudanda voluntas est, modò sedula, simplex, & syncera sit; alij tamen qui doceri cupiũt monẽdi sunt, vt peritiores Magistros quærant: ne iuxta vetus illud prouerbium, sacratissimo Christi ore nobilitatum, sicæcus cæcum ducat, vterque in foueam decidat.

Idcirco de Magistro solicitus, qui veluti peritus dux viæ, quocunque vellem, tutò, ac maximo compendio me duceret, primùm quidem in sacra Biblia, sanctumq; Dei eloquium inquirere cœpi, quidnam de ijs in hac causa statuendũ esset. Quæ licet primo intuitu hæc ipsa videbantur, quæ sola quod cupiam, præstare possent, vbi tamen propiùs accessi, ac diligentiùs intuitus sum, ea comperi, non tam viam esse, qua facillimè, & quàm citissimè peruenirem, quò vellem, quàm ipsum terminum ad quem contẽdebam, aut ipsissimam rem quam adipisci conabar. Quæ quidem vniuersa continẽt, & quàm breuissimè: sed ita sparsa, vt, quanuis hoc ipso, maiore gratia refulgeant; non tamen facilè quis ad ea peruenire possit, certa nimirũ, ac perspicua notione, nisi priùs admoneatur, quæ sint quæ in illis expectare oporteat, & quo ordine quæq; reponi debeant. Nam veluti qui regionem aliquam inuisurus est, vt domum re-

referat qualis ea ſit, ſecundum ſingulas eius partes, multò facilius voti compos erit, ſi priùs in genere edoceatur, quis ſit illius ambitus, quæ forma, qui fines, quot gradibus ab æquatore in latitudine, quot ab inſulis illis fortunatis in longitudine diſtet, quot præcipuas ciuitates, vbi ſitas, quot amnes, quâ decurrrẽtes, quæ littora habeat, & ſimilia; quàm ſi eiuſmodi omnia adminicula reſpuens, eam ipſe vicatim peruagetur, quanuis hac quoque ratione poſſet fortaſſe tandem voti ſui compos eſſe, poſt multas ſcilicet circuitiones, & ingentes labores: ita certè de Sacris literis ſtatuendum eſt: quas quicunq; minimo temporis impendio noſſe volet, huic ego author non ero, cum Hyperio, aliiſq; nonnullis, vt primò omnium ad eas ipſas accedat, eáſq; omnes ſigillatim percurrat, quanuis interim non negauero, ea quoq; ratione poſſe tandem, poſtquam legit ac relegit ſæpiùs, ſuum illud deſiderium ad optatum finem perducere; ſed potiùs, vt ex alio quopiam in genere ediſcat, idq; perſpicua aliqua methodo, quicquid Scriptura ſparſim dictat.

Quo quidem nomine, neminem quod ſciam, in hũc vſq; diem in hoc genere ſatis fœliciter verſatum eſſe, mirer potiùs, an doleam, nondum ha-

beo constitutum. Nam etsi de toto Christiano orbe optimè meriti sint, qui vel libros singulos sunt interpretati, vel præcipua capita in locos quosdam communes coaceruarunt, vel seriem historiæ vtcunque adnotarunt, & quanuis nonnulli existant, qui in singulis istorum egregiè suo munere defuncti sunt, maximè verò (absit inuidia dicto) recentiores nostri, è quibus, quod ad primum genus attinet, Caluinum, in ijs quos interpretatus est; quod ad secundum, Corpus doctrinæ veteris ac Noui Testamenti, per Iohannem VVigandum & Matheum Iudicem, collectum: quod ad tertium, Chronica Carionis à Philippo Melanthone conscripta, præsertim vt nunc sunt à Gasparo Peusero exposita, & aucta, cum bona pace reliquorum, studiosis maximè commendauero (modò id non fiat cum iniuria vel contemptu aliorum, qui quidem omnes laudandi sunt, & in summo honore, ac pretio habendi:) quanuis interim non inficior, quin hoc ipsum quod desidero, in tribus illis potissimùm consistat, maximè verò in apta historiæ connexione, ac succincta, & dilucida expositione, quia tamen vtrunque istorum in nullo vno reperio, ea saltem ratione quæ maximè conueniebat, idcirco nonnihil reliquum esse

esse video quod desiderari, & communibus, ijsq; iustissimis omnium nostrûm votis ardentissimè expeti queat. Quo etiam fit, vt nec vnũ aliquod istorum, quòd singula per se veluti mãca, & imperfecta sint, nec in vniuersum omnia, quia viam satis apertam non præbeant, sed per multos inflexus circunducentia nimis laborioſam faciant, cuiquam ausim commendare: sed potiùs author esse cupiam, si quid apud eruditos valeam, vt quicunque probè ad hanc palæstram instructi sunt, non grauentur experiri, quid in hoc genere possint. nempe, vt opus aliquod meditentur, quod vniuersa Biblia secundum historiæ seriem sic complectatur, quæcunque ad hanc rationem spectant ita explicet, seriem quoque temporum sic distinguat, vt omnibus perspicuitate charũ, breuitate gratum, vtraque iucundum, studioſis verò in primis sit vtile. Quod ni quis faciat, ipse quidem non detrectabo promulgare, quæ mihi ipsi in hunc finem iamdudum conscripsi: postquã illis per otium licebit, summam quod aiunt manum addere. vt mediocritas mea, si studioſis vsui non valde magno futura sit, hoc tamẽ efficiat, vt qui melius instructi sunt, felicioribus auspicijs hoc ipsum aggrediantur. Neque enim e-

gregium aliquod opus inchoare, at deinde perficere, vnus idemq; potuit vnquam.

At verò, quanuis in hoc genere nihil tam absolutum reperiam, vt alijs ausim quicquam hoc nomine commendare, aliud tamen genus est ad hanc rationem admodum vtile, in quo & plurimi laborarunt, & ex eis nonnulli summa cum fide versati sunt. Eorum autem lucubrationes intelligo, qui vniuersam Theologiam in summam aliquam breuissimam certamq; Methodum redegerunt. quæ etsi nullam temporum, siue historiæ rationem habent, quod quidem valdè necessarium erat: tamẽ doctrinæ summam tanta perspicuitate docent, vt qui in ijs probè est exercitatus, non admodum difficulter perspiciat, quo sensu sit accipiendum quicquid in Scripturæ lectione occurrat. Quo in genere, etsi quidã è scholasticis suo more, hoc est, parùm feliciter, veterũ autem plerique nonnulla cum laude versati sint: ad recentiores tamen huius rei gratia commodissimè descẽdemus. Qui etsi non omnes pari dexteritate præditi sint, vnum tamen vel alterum facillimè dabunt, quorum auspicijs quicunque se duci patiuntur, nec à recta via multum aberrabunt, nec tortuosis ambagibus sic frustrabuntur, vt

vt operam lusisse videantur. Et quanuis vnumquenque nostrûm deceat, debito honore singulos prosequi, eorumq; neminem sic alijs præferre, vt in cæteros sit contumelioſus, quum tamen non de illorum præstantia, sed de vtilitate nostra agitur, in studioſorum certè gratiam necessariò mihi dicendum est, quinam sint, quibus in hac causa commodissimè, meo saltem iudicio, vti liceat. Nam etsi vnusquisq; suam laudem habeat, & omnes simul absolutum quiddam polliceri videantur: tamen, memoria tenendum est, nos non perfectam Theologorum disciplinam, sed tantùm tyronum primam quasi institutionem hoc loco tradere. à quibus, sese varijs diuersorum lucubrationibus, quantumuis alioqui & doctis & pijs, certatim immiscere, quàm longissimè semper abesse voluimus: ne vel acumen obtundatur, vel iudicium, in varias partes, distractum, nihil certi statuere deinceps possit; vel certè animus, tam arduæ & difficilis viæ pertæsus, non nihil de suo studio primùm remittens, postmodũ etiam totus flaccescat.

Iam igitur vt propiùs aliquanto accedamus, duo ferè sunt, quibus, quod ad hanc causam attinet, primas vt plurimum omnes, nec iniquè id

quidem (quod tamen cum bona pace aliorum dictum velim) deferre solent: Iohānem Caluinum, & VVolfgangum Musculum dico. quorum alter grauitate, facilitate alter, vterque verò pietate & doctrina plurimùm præstat. At quoniam, non solùm non plures, sed ne duos quidem lepores insectari quis poterit, non ambos istos, sed alterum eorum deligendum censeo. Hic, quanuis multorū iudicio difficilis sit optio, ego tamen duobus præcipuè nominibus ad priorem potiùs accedo. primùm, quod pressius aliquanto quàm alter, soleat agere: tum etiam, & quidem maximè, quod in postrema Institutionis suæ editione, locos suos omnes accuratiore methodo connexuerit, quos alter sparsos adhuc, & diuisos quodammodo habet. Neque enim quenquam esse arbitror, qui nesciat, multo magis ad docendi rationem conducere, si quis omnia simul comprehendat, atq; ita vniuersum oculis spectandum subijciat, quàm si singula seorsum prosequatur. perinde ac de pictoribus statuere solemus: eum scilicet qui corpus aliquod integrum depinxerit, etiamsi non admodum peritè illud quidem, magis tamen docuisse quale illud sit, quàm qui singulas eiusdem partes membratim descripserit, licet nihil omnino in

eis

eis desideretur, quod vel peritia, vel labor possit præstare. Non enim Theologiam peritissimè docent qui singulas partes separatim pertractant: sed qui vniuersam ita complectuntur, vt cuilibet difficile non sit, quasi vno intuitu omnia conspicere. Nec tamen inficior, quin & hic suos locos quodammodo connectat, & in illo, quoad Methodum, nonnihil certè desideretur. Cæterum, hoc est quod volo, quum vnus quispiam deligendus cuiq; sit, quemadmodum hos duos reliquis antefero, ita etiam alterum istorum, hoc saltem nomine, alteri præferendum esse. Nam quod ad Andream Hyperium attinet, etsi de studiosis omnibus quàm optimè meritus sit, videatúrque in votis habuisse, vt absolutam aliquam methodum describeret: tamen, & morte præoccupatus est, priusquam eam absoluere licuit, & methodus ipsa, quam in fronte libri delineatam reliquit, non video qua in re Caluinianæ debeat anteponi. Summa igitur omnium hæc vna est: quicunque Theologiæ daturus est operam, optimè quidem mea sententia fecerit, si donec alia in lucem prodierint, Institutionem Christianæ religionis à Iohanne Caluino conscriptam, cæteris omnibus ad tempus sepositis, sibi vnicè notam,

ac familiarem priùs reddiderit.

Neque tamen omnino dissimulandum, vel prætereundum est, quod ab eius lectione nonnullos arcere videmus: ne quod offendiculo esse aliquando solebat, semper, ni amoueatur, efficiat, vt hanc viam multi declinent. Causantur siquidem, eam styli grauitatem esse, tantumq; acumẽ, vt non facilè quis authoris sensum assequatur: ac proinde, non tam tyronibus atterendum esse, quàm exercitatioribus solummodo relinquendum. Quod quidem vtcunque aliqua ex parte verum esse concesserò, nego tamen difficultatem styli aliunde prouenire, quàm ex eiusmodi fontibus, qui talia etiam vnà præbent, quæ omne tædium facillimè leuent. Hinc enim tantùm est, quicquid difficultatis habet, quòd, & multa breuibus perstringat; &, non in superficie fluitare, sed in profundo incedere gaudeat: quæ ambo, quàm sint apud studiosos omnes gratiosa, nemo est qui nesciat. Quod igitur ad vtrunque spectat, si qui ducit per compendium, etsi via paulò fuerit laboriosior, beneficium tamen non contemnendum contulisse putetur; si curuus arator, non tam leuiter sulcare tellurem, etsi minore labore posset, quàm fortiter impresso vomere gestiat:

ſtiat: non video cur quiſquam huius vel breuitatem imprudentia declinet, vel acumen inertia reformidet. nam & breuitas orationis rebus quàm plurimis refertiſſima eſt, & ſtyli grauitas ad ſecretiora Theologiæ perducit. Quinetiam & illud quoque addi poſſet, ſtudioſum, ac diligentem lectorem vix vſquam hærere: ſed vel difficillima quæque ita aſſequi, vt mediocrem vtilitatem inde percipiat, & non contemnendos progreſſus faciat.

Sed quod pleriſque res ipſa putatur loqui, ego quoque non inuitus dabo, ne quemadmodum Pontificij ferè omnes Concilia & Patres iactare ſolent, (maximè verò indoctiores, qui neſciunt quàm infirmum præſidium in illis reſiduum habent) non quòd eorum iudicio quicquam deferant, ſed vt eorum curam habere, & in ijs feliciter verſati eſſe videantur: ad eundem modum & ego videri poſſem, Caluini grauitatem diſſimulare, non quòd re vera ſenſum eius facilè aſſecutus ſim, ſed vt acumini meo plus tribueram, quàm vel ipſa veritas ferat, aut ſine aliorum iniuria, vel etiam contumelia poſſim. Imò tantùm abeſt, vt hoc ipſum diſſimulare in animo habeam, vt vel ex hoc vno fonte,

enarrationis huius occasionem me arripuisse libenter concedam. Cùm enim complures sæpius audiuerim, qui de styli eius difficultate nonnihil conquesti sunt, atque ipse etiam hoc ipsum in pleríque locis expertus fuerim, non occurrebat qua ratione iuuentuti meliùs consulere possem, quàm si quod huius difficultatis leuandæ gratia, mihimet ipsi iamdudum paraui, idipsum illis communicarem. præsertim quum non tantùm tyronibus vsui esse possit, cum Institutionem Caluini primùm lecturi sint, vt authoris sensum illis aperiat; sed prouectioribus etiam qui eam aliquoties relegerunt, vt exiguo labore quoties volunt, illis in memoriam reuocet, quæcunque Caluinus ipse fusiùs disputat: quod quidem studiosis omnibus meritò gratum solet esse. Institutionẽ enim Caluinianam equidem tanti faciendam existimo, vt vel doctissimis quibusuis interdum relegendam aut recognoscendam existimem, planéque suadeam. Id verò quum exigui laboris non sit, multíque alijs occupationibus ita distrahantur, vt tantum otij vix illis suppetat, Compendium istud, donec aliud quispiam accuratius dederit, non omnino ingratum futurum spero.

Nunc

Nunc quod ad vos attinet, chariſſimi iuue-nes, quibus has meas primitias nuncupo, quicun-que Theologiæ nomina daturi eſtis, mea quidem ſententia conſultiſſimè feceritis, ſi hanc Caluini Inſtitutionem vobis reddatis familiariſſimam: priuſquam, non tantùm ad vetuſtos Patres, aut recentiores noſtros, ſed vel ad ipſum Scripturæ ſacræ contextũ tranſeatis. vt hoc pacto vniuer-ſa priùs animo (quoad fieri poteſt) concipientes, quàm ad ſingula deſcendatis (quum proximè ad ſacram paginam, ac deinde ad alios probatos au-thores veniendum eſt) multò meliùs perſpicere valeatis, & quo ſenſu difficiliora nonnulla Scripturæ loca ſint accipienda, & quo loco ali-orum omnium tam veterum, quàm recentio-rum placita (quorum bona pars facilè alioqui imperitos & incautos decipere poſſet) habenda ſint. Quo nomine, ſi quid iſtæ lucubrationes meæ vobis prodeſſe queant, id certè eſt quod vnicè cupio. Et quamuis non dubitem, quin vſui non-nullis eſſe poſſint, hoc tamen extra omnem con-trouerſiam poſitum habeo, longè plus eſſe, quod vobis in Chriſto debeo, ſemperq; exopto, quàm vel hoc ipſum, vel quicquid aliâs poſſum, præſta-re valeat.

Quod verò ad ipſum Compendium attinet, huius rei primùm vos admonuiſſe operæpretium duxi, vt quamuis propoſitum mihi fuerit, vbique & ſummam tradere, & textum explicare, neutrũ tamen ita conſectatus ſim, vt alterutrum per ſe voluiſſe videar: ſed ita ſtylum moderatus, vt videbatur maximè expedire ad vtrũq; ſimul comprehendendum, quanta cùm breuitate tum etiam perſpicuitate potui. atque ob hanc cauſam ab ipſius authoris verbis, quam minimè potui ſemper diſceſſi. vt hoc ſaltem pacto effectum darem, non tantùm vt quiuis ſtudioſus faciliùs perſpiceret, vbinam ſenſum vel ſummam totius repoſitam haberet, quum authoris verba ad locum ipſum, veluti manu, recta perducerent: ſed etiam, vt, ſi ipſe alicubi errauerim, ingenuè apud omnes profiterer, quis mea ſententia fuerit cuiuſque ſectionis ſenſus, & ex quibus potiſſimùm verbis eliciendus. vt quicunque feliciore marte præditi fuerint, & ſibimetipſis errata corrigant, & alijs, ſi placet, publicè prodant. Ego enim mediocritatis meæ probè conſcius, libentiſſimè cuiuis permitto, vt liberum de me, meiſq; omnibus, iudicium habeat: illud nimirum præcipuè in votis habens, vt rei

cuiuſque

cuiuſque veritas probè innoteſcat: non vt quicquid à me dictum fuerit, nunquam corruat, aut cenſura omnium eximatur. Nam & ipſe ob hanc cauſam liberè quandoque in alios inquirere ſoleo: & ſi quid caſtigatione dignum animaduertero, idipſum palàm, quoties opus eſt, profiteri. ſtatuens nimirum, iniquum eſſe, præſtantia vel dignitate cuiuſquam, quæ veritate ſola conſtat ad veritatem vel pœnitus obruendam, vel etiam aliqua ex parte reprimendam, abuti. Cuius quidem rei hic noſter author teſtis ſatis locuples futurus eſt. quem alios in multis rectè corrigentem, dum ego quoque in paucis quibuſdam leuiter caſtigo, ne cynica petulantia elegantias Platonis calcaſſe magis, quàm veritatis vel aſſerendæ, vel eruendæ cauſa feciſſe videar, quemadmodum in aliquibus cauſam breuiter annotaui, vt in margine videre eſt, ita hoc vnum inſuper adijcio, propoſitum mihi eſſe, ſi Deus voluerit, ſingula fuſiùs pertractare: vt rationibus meis in medium prolatis, veritas, ſi fieri poteſt, magis eluceſcat, & aliquanto clarior euadat. mihi ſaltem ſatis erit, quod officij mei ratio poſtulabat, ingenuè ac fideliter præſtitiſſe: vtcunque iudicium penes ali-

os, qui vberiore Spiritus gratia illustrati fuerint, nec inuitus quidem residere patiar.

Quod superest fratres, si quid vobis opella mea prodesse potest, gaudeo: sin minùs, voluisse tamen, & vobis gratum, & mihi non incommodum futurum est. vestrum erit, quum non tantùm qui optimè possunt, suppetias vobis, easq; satis amplas ferant, sed etiam qui nihil possunt, potuisse tamen libenter exoptant: quum inquam omnes vobis bene prospectum esse velint, vobis ipsos non deesse.

(·:·)

Typographus Lectori.

DE hoc admonendum te censeo, candide Lector, mancum & inchoatum esse locum, vbicũque in duobus libris prioribus compendij huius inter legendum occurrerit vel sectio, vel annotatio mutilata, vnà cũ paginæ numero ad finem affixo. Quod non tam incuriæ quàm obliuioni attribuendum est. Huiusmodi autem locorũ emẽdationes hic proxime subsequuntur. Hic enim inuenies eos omnes perfectos & absolutos, numero libri & capitis in quibus hi loci sunt, atq; etiam ipsius sectionis imperfectę locis emẽdatis & perfectis præfixo.

LIB. I. CAP. X. Sect. 2. ad finem Annotationis in margine.

Et quanuis non dubitem, quin, vt hic noster Caluinus optimè dum vixit, potuit: ita hodie etiam multi sint, qui, si animos in eam rem diligenter intenderent, feliciter hoc ipsum præstare possent: ego tamen non subterfugiam, quod pro tenuitate mea mihimet ipsi tampridem meditatus, postmodum nostratibus in priore mea Methodo diuulgaui, vobis nunc Fratres paulò accuratius impertire: hoc verò, non tam sententia mea expli-

canda causa: quàm vt doctiores ad conferendas vires suas, pia quadam amulatione sollicitem. qua etiam causa fuit quòd singula potius per tabulam disponere, quàm oratione continua vniuersa congerere, libuerit: quò faciliùs, & animi mei sententiam omnes intelligant; & de ea sentiendum quid sit, doctiores dyudicent. Eam autem tabulam vt praesenti pagina appositam habeatis, curaui.

LIB. I. CAP. XI.

2 Hanc suam sententiã non tantùm ex Mose, Deut. 4.c.15; Isaia, 40. d.18; & Paulo, Act. 17. g. 29. confirmat: sed etiam Senecæ querimonia ab Augustino citata illustrat.

LIB. I. CAP. XII.

3 -Vbi etiam contendit, quæcunq; pietatis officia aliô transferuntur quàm ad vnicum Deum, sacrilegio non carere: &, Non aliunde quàm ex superstitione & ambitione promanasse, vt, quod sibi vni Deus vendicat, cum magna aliorum turba communicetur.

LIB. I. CAP. XVI.

5 Aliâs nec paterno Dei fauori, nec vllum iudicijs locum relinqui.

LIB. II. CAP. II.

22 Ad tertium membrum accedens, de cognoscenda vitæ probè instituendæ regula, vtcunq; concedat, in hac re mentes hominum non prorsus cæcutire; sed videri aliquantò; quàm in superioribus, acutiores: sibi tamen sufficere negat ad vitam rectè instituendam. Neq; tamen Platoni concedi debere, Non peccare homines nisi ignorantia: quippe qui naturæ luce sic illustrentur, vt vel ea sola inexcusabiles reddantur.

23 Magis appositè ad hanc rem locutum fuisse Themistium. qui intellectũ in thesi, seu definitione generali rarissimè falli docuit: hallucinationem esse quum ad hypothesin seu particularia descendat. tamen hæc ambo

sic

sic accipienda esse, vt nec posterius illud membrum sit perpetuum (quippe qui scientes & volentes aliquando in malum ruamus):

24 Nec illud prius de vniuersali iudicio vbiq; sanũ & integrum maneat, Idq;, si ad diuinæ legis normã exigatur, tum demum manifestò apparere: siue priorem Tabulam, sive posteriorem diligentiùs inspexerimus.

25 Mediam igitur hanc viam tenendam esse, vt nec omnia peccata cum Platone ignorantiæ esse imputãda; nec cõsultam malitiam in omnibus peccatis intercedere statuamus. Illud tamen nihilominus manere, mentis nostræ vires à vera directione plurimùm abesse: imò & malum esse coram Deo quicquid in hisce rebus ingeniũ nostrum concipit, agitat, molitur. Nec vnius tãtum diei, vt deinde per se videant; sed assidua directione in singula momenta opus habere.

26 Nunc Volutatum &c.

LIB. II. CAP. VI. sect. 1. in margine.

* *Ergo fideles Ministri caueant, ne, quemadmodum mercenarij solent, non tantùm, non pessimis quibusuis; sed etiam, ne manifestis hypocritis Corporis ac Sanguinis Domini Sacramentum porrigant: donec ad meliorem frugem redierint.* Ne date quod sanctum est, canibus: nec proijcite margaritas vestras coram porcis. ne quando conculcent eas pedibus suis; &, conuersi lacerent vos. Mat. 7. a. 6.

LIB. II. CAP. VIII. sect. 10. in margine.

* *Intelligit (opinor) id non in omnibus, sed in pluribus solummodo generibus tenere. Nam manifestis blasphemijs diuinum numen impetere, maius vtiq; est, quàm Deum otiosè attestatum esse; & in Sabbatho ligna collegisse, offensa lenior, quàm lasciuia, crapulæ, aut ebrietati vacare: quemadmodum incestus, adulterium nonnihil superat; & sua sorte non tam solidè contentum esse, quin aliquoties vberiorem quis appetat, minus aliquanto est manifesto murmure.*

ıdus liber
gnitione
ledemp-
duas præ-

RIMV
er de Co
one Dei
toris duc
ræcipuo
os habet
im priot
notitia
ter de n
ominis.
uibus pr
ùm con
im agit.
Deinde d
ulis sepa
un.

- PRIMVS liber de Cognitione Dei Creatoris duos præcipuos locos habet, quorum prior est de notitia Dei: alter de notitia hominis. de quibus primùm coniunctim agit.cap.1 Deinde de singulis seperatim.
  - Ac primùm quod ad Dei notitiam attinet,
    - Primùm ostẽdit qualis sit notitia quam ipse postulat. cap.2.
      - primùm,non in homine: quia etsi naturaliter hominum mentibus indita sit,cap.3: partim tamen insciitia,partim malitia suffocatur.cap.4.
      - Deinde,nec in fabrica mundi: quia etsi in ea clarissimè luceat, nos tamen adeò stupidos esse, vt eiusmodi testificationes quantumuis perspicuæ, nobis sine fructu effluant.cap.5.
    - Deinde,vbi hæc notitia quærenda sit: nimirum,
      - Tertiò, qualis sit Deus: cap.10.
        - Sed in Scriptura. qua occasione ad eam delatus,
          - primùm ostẽdit,Deum nõ alia ratione verè cognosci posse.6.
          - Deinde qua ratione authoritas eius stabiliatur.cap. 7.8.
          - Tertiò quàm minimè deceat, ea posthabita ad reuelationes trãsnolare.cap.9.
        - Quò verò vtrunque, Dei scilicet & nostri notitiam, melius illustret, ad omnium humanarum actionum,totiusque mundi gubernationem, contra fortunam & fatum descendit à 16. ad 18.ac
          - Primùm doctrinam ipsam tradit.cap.16.
          - Deinde ostendit quorsum referenda sit. cap.17.
          - Postremò Deum,etsi impiorum opera vtatur,purum tamen ab omni malo esse contendit. cap.18.
      - Quartò,quàm iniquum sit,Deo tribuere visibilem formam: vbi etiam de imaginibus,& earum adoratione,& origine, agit,cap.11.
      - Quintò, æquum esse vt solus in solidum colatur.cap.12.
      - Postremò de vnitate essentiæ diuinæ, & Personarum distinctione agit.cap.13.
  - Deinde, quod ad notitiam hominis spectat,
    - Primum vt viam sibi muniat,de
      - Creatione mundi:
      - Angelis:
      - Diabolis:

      quòd hæc omnia in hominis gratiam creata sunt, agit cap.14.
    - Deinde ad hominem ipsum veniens, naturam viresque eius examinat.cap.15.

- Secundus liber de cognitione Dei Redemptoris duas præcipuas partes habet. Nam
  - primùm de Redemptionis occasione, hoc est Lapsu hominis agit: idq;
    - primùm in genere. vbi etiam de peccato Originali.cap.1.
    - Deinde speciatim ad arbitrij seruitutem tractandã descendit: sic tamen vt
      - primùm simpliciter contendat arbitrium libertate spoliatum, & miseræ seruituti addictum esse.cap.2.
      - Deinde hoc ipsum ab effectis confirmet. cap.3.
      - Tertiò maioris perspicuitatis causa,quomodo Deus operetur in cordibus hominum,ostendat.cap.4.
      - Postremò obiectiones refutet, quæ pro defensione liberi arbitrij afferri solent.cap.5.
  - Deinde quod ad Redẽptionem ipsam attinet,
    - primùm ostendit quis sit in quo salus homini perdito quærenda sit, nempe in Christo. cap.6.
      - primùm sub Lege: qua occasione,
        - & Decalogum explicat.
        - & alia quædã de Lege discutit.

        cap.7.8.
      - Deinde quomodo hic ille Christus mundo patefactus sit: nempe
        - Deinde sub Euãgelio, cap.9. qua occasione de
          - Similitudine cap.10.
          - Differentia cap.11.

          vtriusque Testamenti agit.
    - Tertiò qualis fuerit,debuitque esse:Deus scilicet & homo.cap.12.vbi etiam,
      - Humanitatem Christi pluribus asserit contra Marcionitas & Manichæos.cap.13.
      - Et quomodo luæ naturæ Mediatoris efficiant personam, ostendit,cap.14.
    - Quartò, quorsum à Patre in hunc mundum missus fuerit: idque ex munere suo
      - Prophetico
      - Regio
      - Sacerdotali

      cap.15.
    - Postremò quo modo quibusque gradibus Redemptoris munus impleuit, vbi
      - Et bonam parem Symboli explicat.cap.16.
      - Et De Merito Christi speciatim agit.cap.17.

- Tres tantùm loci sunt, quos hoc quarto lib. præcipuè tractat: quorum
  - primus est de Ecclesia: qui multa quidem complectitur: quę tamen omnia in quatuor classes cōmodè distribuere queas. nam
    - Primùm de ratione qua dignosci Ecclesia potest, quoniam nobis vnitas cum ea colenda est, disputat. cap. 1. & 2.
    - Deinde de regimine Ecclesiæ agit, vbi
      - Primùm ostendit quis sit ordo gubernandæ Ecclesiæ, quem ex puro Dei verbo vult esse traditum cap. 3.
      - Deinde quæ forma gubernationis apud veteres in vsu fuerit. cap. 4.
      - Postremò qualis sit quæ hodie sub Papatu viget. ca. 5. qua occasione
        - De Primatu speciatim agit. cap. 6.
        - Et quibus gradibus in eā altitudinem se extulit, ostendit. cap. 7.
    - Tertiò, de potestate Ecclesiæ: ac
      - Primùm, quoad fidei dogmata, quę
        - Vel in singulis ca. 8.
        - Vel in vniuersis, vtpote Concilijs, ca. 9.

        } residet.
      - Deinde, in Legibus ferendis. cap. 10.
      - Postremò, in Ecclesiastica iurisdictione. cap. 11.
    - Quartò, ad disciplinā Ecclesiæ descendit: ac
      - Primùm de ea ipsa agit. cap. 12.
      - Tum etiam vitium quoddam ei affine, quo peccarunt plerique dum vota nuncupantes, veluti voluntarium quoddam disciplinæ genus sibimetipsis indicere voluerunt, pertractat. cap. 13.
  - Secūdus est de Sacramentis· quæ tres habet classes. nam
    - Primùm, de Sacramentis in genere agit, cap. 14.
    - Deinde de vtroque sigillatim: ac
      - Primùm de Baptismo, deque eo
        - Primùm in genere, cap. 15.
        - Deinde, de Baptismo paruulorum, cap. 16.
      - Deinde de Cœna Domini: ac
        - Primùm de vera & genuina eiusdem institutione. cap. 17.
        - Deinde de contrario sacrilegio, Missa scilicet Papali. cap. 18.
    - Postremò, de quinque illis quæ paulò antè Sacramenta falsò habita sunt. cap. 19.
  - Tertius de Politica administratione. de qua
    - Primùm in genere:
    - Deinde de singulis eius partibus, vtpote, de
      - Magistratu,
      - Legibus,
      - Populo,

      } agit, cap. 20.

Eorum quæ in tertio libro continentur, etsi omnia quodam modo, maxima verò pars dilucidè ad Fidei tractationem referri queant: ego tamen septem præcipuas classes faciendas esse existimaui. Nam

- Primùm ostendit, quî factum sit, vt nobis prosint quæ de Christo dicta sunt: nempe, non marte nostro, sed arcana & speciali operatione Spiritus. Cap. 1.
- Deinde, quoniam Spiritus in nobis non alia ratione hoc tantum bonum, quàm fide operatur, iustam Fidei tractationem subiungit. Cap. 2.
- Tertiò, quo fides istęc salutaris melius innotescat, ostensurus qui inde fructus necessariò proueniant, cōtendit veram pœnitentiam ab ea sēper promanare, ac de ea pluribus disserit.
  - primùm de vera Pœnitentia in genere. Cap. 3.
  - Deinde de pœnitentia Papistica· eaq; occasione de
    - Contritione
    - Confessione
    - Satisfactione

    } Cap. 4.
    - Indulgentijs
    - Purgatorio

    } Cap. 5.
  - Postremò, vt de Pœnitentia vera speciatim agat: hoc est, de duabus eiusdem partibus, Mortificatione carnis, & viuificatione Spiritus, ad vitam hominis Christiani quæ vtraque earum consistit, descendit. sic tamen vt
    - primo loco velit hoc vnum apud omnes pro confesso haberi, Neminem Christianum esse, qui singulari quodam iustitiæ amore non afficitur. Cap. 6.
    - Deinde & summam vitæ Christianæ breuiter perstringat, quò quisq; veluti normam habeat, ad quam se vtiliter exigere queat. Quæ quoniam in summos labores & difficultates desinit, Cap. 7. ideirco eius rei gratia,
      - Et vtilitatem Crucis ex professo describit. Cap. 8.
      - Et ad futuræ vitæ meditationem reuocat. Cap. 9.
      - Et (quod ad hanc rē plurimum cōducit) quomodo hac vita eiusq; adiumentis vtendū sit perspicuè ostendit, ne quid vlla ex parte in eo peccetur. Cap. 10.
- Quartò, quò clarius ostēdat, quæ sit fidei huius vtilitas, & qui effectus consequantur.
  - Primùm de Iustificatione fidei agit: idq; hoc ordine, vt
    - primùm, rem ipsam asserat. Cap. 11.
    - Deinde iustitiam operum, quæ contrà erigi solet destruendo, confirmet:
      - Primùm, à descriptione perfectæ iustitiæ. Cap. 12.
      - Deinde, à duobus illis quæ tantopere cauenda esse contendit. Cap. 13.
      - Tertiò, ab initio & progressu iustificationis (qua reliquos omnes destitui probat) in regeneratis. Cap. 14.
      - Postremò, à duobus pessimis effectis quæ iustitiam operum semper comitātur. Ca. 15.
    - Postremò
      - Calumnias aduersariorum retundat. Cap. 16.
      - Argumenta eorū refutet:
        - primùm ea quæ ex promissionibus
          - Legis
          - Euangelij

          } ducuntur. c. 17.
        - Deinde ea, quibus ex mercede promissa, operum iustitia colligitur. Cap. 18.
  - Deinde de libertate Christiana, quæ iustificationis veluti Appendix est, tractat. Cap. 19.
- Quintò ad orationem,
  - Quod ea sit præcipuum fidei exercitium,
  - Et qua Dei beneficium quotidie percipimus.

  } Descendit. Cap. 20.
- Sextò, quoniam antè capite primo dixerat, non omnes promiscuè amplecti Christi Euangelium: sed eos tantùm quos Spiritus sui efficacia dignatus est Deus, ne cui absurdum hoc videatur, specialem de æterna Dei Electione tractationem subnectit: vbi
  - Primùm Doctrinam ipsam tradit
    - Alios scilicet ad salutem.
    - Alios ad interitum

    } prædestinari. Cap. 21.
  - Deinde Scripturæ testimonijs confirmat. Cap. 22.
  - Tertiò refutat calumnias quibus hæc doctrina semper iniquè grauata fuit. Cap 23.
  - Postremò ostendit qua ratione nobis statuere liceat de certitudine
    - tam electionis
    - quàm reprobationis

    } cap. 24
- Postremò, quoniam molestum nobis multis nominibus esse potest, sub hac dura militia exerceri, quæ vitam hominis Christiani semper comitatur, contendit eam leniri posse Resurrectionis meditatione, ob eamque causam tractationem eius subiungit. Cap. 25.

De cognitione D

Primum eorum est, quæ veluti Numinis personã propius attingunt.: ea autem sunt quatuor.
- Primò, vt statuamus, aliquem esse Deũ: seu, quod alijs verbis idem est, summã aliquã Potestat
- Secundò, quòd hic ille Deus, Vnus sit.
- Tertiò, quòd vnica illa Dei essentia, in tres Personas distinguatur
  - Patrem,
  - Filium,
  - Spiritum.
- Vltimò, quòd tres istæ Personæ secũdùm Deitatẽ sint in omnibus pares.

Secundum ad Dei voluntatem restringitur: de quo tamẽ duo videnda sunt.

Priore loco, quæ sit hæc Voluntas Dei, vt in se ipsa est. quæ quidem vt liberrima est, ita nobis maxima ex parte incognita, & iudicio carnis nunquam ferè probata: quæ tamen iusta quum sit, nunquam à perfectissima iustitiæ regula vel minimùm aberrat. Ea autem in duabus speciebus præcipuè versatur.
- Primùm, quoad æternam: dum
  - Alios in æternam salutem cooptat.
  - Alios æternæ morti adiudicat.
- Deinde, quoad temporaria, & quæ in hoc mundo fieri vult: quoties videlicet ei placet, vt aliquid fiat aliter atque communis ordo, iam olim à se ipso positus, patitur. Aliquid autem extra illum quem dixi ordinem, dupliciter fit:

Posteriore loco, quæ sit illa Volũtas Dei, quæ nobis patefacta est. quæ quidem in duobus versatur: officio nostro; & communi naturę ordine.
- Quæ officium nostrũ respicit, ea demum vnica vitæ nostræ norma est, ad quã omnes vitæ nostræ actiones exigi debent. Eam verò & voce, & scriptis duplici ratione patefecit Deus.
  - Primò quidem summatim, & in genere, vt in Decalogo, & alijs quibusdam Scripturæ succinctis sententijs, quæ officij nostri summam paucis complectuntur.
  - Deinde speciatim, & explicatius: vt in singulis, & vniuersis sacris libris videre est.

Quæ ad communem naturæ ordinem spectat, hoc vnum habet, vt quamuis in niculis adstrictus non sit: sciamus tamen, apud illum solenne esse illis vt plur ope præstare, quod ipse decreuit facere.

ria omni- o genera dentur es- , ad quæ ferri (nec concinnè) osũt, quæ- nque de eo Scrip- ura docet.

Tertiũ ea omnia habet, quæ Dei Attributa quibusdam dicuntur: eas nimirum siue virtutes, siue facultates, quæ vt à Dei essentia aliquanto remotiores sunt; ita & ab eo diuelli nũquam possunt, & qualis ille sit, luculentius depingũt. Quæ omnia, quãuis innumera sunt, tamen in hoc vnum recidũt, quod Deus ille noster ineffabili Maiestate, seu Gloria numeris omnibus absolutissima refulgeat. Eius autem amplitudo vel gloria in duobus posita est.

Primò, quod naturã modis omnibus sit Incomprehensibilis: hoc est,
- Nulla concretio
- Nulla forma visi
- Nullis dimensio

Deĩde, quòd inexplicabili Bonitate, seu Præstantia sit præditus. Bonus autẽ est duplici ratione: primùm in seipso: tũ etiam in alios.

Quæ in ipso residet Bonitas, est absolutissima bonorum omnium perfectio. qua fit, vt Sanctus, Potens, Aeternus & Diues (idque iure optimo) passim prædicetur. cuius quidem

Sanctitas ea est, vt
- Nec in ipsum, vitium aliquod cadere pos
- Nec, quod in alijs deprehendit, non pos

Potentia duo habet,
- Sapientiam, seu Consiliũ in rebus omni nendis. cuius tanta vis est, vt abditissima
- Fortitudinem, seu facultatem perficien creuit facere. Quæ certè tanta est, vt o & euentus omnes moderetur: quod no dam vocabulo Prouidentiam ferè dicu sunt species: nempè, quòd omnia

Aeternitas ea est. vt
- Semper absque initio fuerit:
- Nunquam finem sit habiturus
- Nullam commutationem, aut vicissitudinem sic perpeti possit, quin vnus idemque semper maneat.

Diuitiæ tãtæ sunt, vt omnia solus in manib⁹ habeat

Bonitatis vero quę in alios redũdat, duæ sunt species.

Iustitia cuius partes duæ sunt.
- Prior ea zelotypia est, qua suam gloriam à superstitiosorum, & prophanorum hominum contumelia vindicat, eandemque integram & illibatam sibimetipsi soli conseruat.
- Posterior ea est æquitatis species, quæ alios omnino respicit. ea autẽ tria præcipua capita habet: quippe quæ
  - Omnia s
  - Iudicia r
  - Vindicta

Misericordia: quę tria complectitur. quorũ
- Primum, est quam patientiam dicimus: qua long
- Secundum, benignitas ea est, qua liberè & in vni uersum condonat, &
- Tertium ea beneuolentiæ virtus est, qua vniuersa & singula benignè habet: quæque verò secundùm ordinis sui rationẽ. ordinis autem ratio triplex est.
  - Omnibu dum be
  - At in vni to prop
  - Sed in e nificent

Dei.

eſtatem eſſe, quæ in omnia, quæ { in cœlis / in terris / apud inferos } ſunt, imperium { Habeat, & Exerceat.

Primò in eiuſmodi rebus, quæ officium noſtrum reſpiciunt: quoties aliquid fieri vult, quod, quantùm ſenſus noſtri aſſequi poſſunt, à Decalogo, & reliqua Scriptura nõnihil, ſeu ex parte diſſentit. Huius autẽ duæ ſunt ſpecies.
- Prior eorum eſt quæ Deus non probat, & intermedijs actoribus vitio vertit: cuiuſmodi eſt illud, quòd Chriſtus in crucem actus eſt; & aliâ certè infinita.
- Poſterior eorum eſt quæ Deus approbat, & intermedijs actoribus laudi ducit: cuiuſmodi eſt exemplum illud Phinees notiſſimũ, Zimbrum & Cozbam fornicantes priuata manu confodientis; & pauca alia.

Deinde in ijs quæ ad naturæ ordinem ſpectant: quæ etiam duplicia ſunt.
- Primò, quum aliqua ſic fieri vult, vt naturæ ordini iam inde ab initio poſito veluti ex diametro repugnent. vt quum Ionam in ventre piſcis; tres illos pueros confeſſores in medio ignis; & Danielem in antro leonum, ſaluos eſſe voluit.
- Deinde, quum alia quædam ſic profert, vt manifeſtum ſit eum, illa ſic effici voluiſſe, vt quãuis non contra, tamen præter naturam fierent. cuiuſmodi eſt, quòd Moſen, & Eliam quadraginta dies abſque vllo alimento ali voluerit: & multa aliâ.

is inferioribus iſtis admi- plurimum vti; & eorum

retione elementari corporeus, ſed ſimpliciter Spiritualis;
a viſibili indutus, ſed prorſus Inuiſibilis;
enſionibus circunſcriptus, ſed vndiquaque Infinitus.

e poſſit:
n poſſit non abominari.

omnibus diſpo- ſima quæq;, tũ
- ob oculos ſemper ſic habeat, vt perfectiſſima quadam ratione
  - Reminiſcatur præterita.
  - Sciat præſentia.
  - Præſciat futura.
- optimè intelligat, quo modo omnia, ſumma cum prudentia, & ratione diſponat.

ficiendi quicquid ipſe de- vt omnia ſolus ipſe agat, od nonnulli recepto quo- dicunt. Eius autem tres
- Ex nihilo primùm crearit;
- In hunc vſque diem tueatur, atque ſuſtineat;
- Regat etiam, atque gubernet.

eat
- Siue quæ ſunt huius mundi: qualia ſunt quæ vulgò dicuntur bona { Animi, Corporis, Fortunæ.
- Siue quæ ſeculi ſunt futuri: cuiuſmodi ſunt
  - Naturæ humanæ collapſæ perfectiſſima, tũ in { Corpore / Animo } reparatio.
  - Nouorum donorum { Liberalis & Gratuita. } collatio.
  - Pleniſſima, & iucundiſſ. { Dei / Angelorũ / Sanctorum } fruitio.

nia ſua dicta veritate
licia rectitudine
dictas iuſta ſeueritate
} imbuat.

a longanimis eſt in
- Grauiter peccantes.
- Diu in peccatis perſeuerantes.

in vni- { Pœnam / Culpam

mnibus enim creaturis ſuis, etiam inferioribus iſtis, mirum quidem in modum benignus eſt:

: in vniuerſum genus humanum (quam philanthropiam Græci dicunt) mul- propenſior:

d in electos longè mu- ficentiſſimus: quòd eos
- Efficaciter vocat in hac vita
- Glorificabit in futura.

DE COGNITIONE DEI CREATORIS.

ARGVMENTVM.

DE cognitione Dei Creatoris dicturus, quoniam in creatione hominis ea maximè elucet, ea ratione de homine quoque hoc libro disputat. atque ita præcipui loci, quos hoc libro pertractat, duo tantùm sunt: quorum prior est de notitia Dei, alter de notitia hominis. Ac primo capite de vtroque coniunctim agitur: pòst de singulis separatim: sic tamen, vt de alijs quibusdam minutioribus obiter agat, quæ tamen omnia ad alterutrum istorum referantur. tractatus scilicet de Scriptura, & Imaginibus, ad notitiam Dei: tres reliqui, de Fabrica mundi, de Angelis, & Diabolis ad notitiam hominis: postremus, de ratione, qua Deus mundum gubernat, ad vtrumq; spectet.

Quod verò ad priorem, hoc est, Dei notitiam attinet, primùm ostendit, qualis sit notitia, quam ipse postulat, cap. 2. Deinde, vbi quærenda sit, à 3. ad 9. nimirum, non in homine: quia, etsi naturaliter hominum mentibus indita sit, partim tamen inscitia, partim malitia suffocatur, 3. & 4. nec in fabrica mundi, quia, etsi in ea clarissimè lucet, nos tamen adeo stupidi sumus, vt eiusmodi testificationes quantumuis perspicuæ, semper tamen nobis sine fructu effluant, 5. sed in Scriptura, 6. atque ita ad Scripturam delatus, tribus alijs capitibus eius tractationem prosequitur, 7. 8. 9. Tertiò, qualis sit Deus, 10. Quartò, quàm impium sit Deo tribuere visibilem formam (vbi etiam de imaginibus, & earum adoratione, &

insculpsisse,& quidē adeò claras & insignes, vt visibilem se quodāmodo exhibuerit.id verò factum esse,primùm, in pulcherrima ista machina mundi, siue vniuersali rerum omnium creatione & ordine.

2 Idque testari non tantùm ea quæ philosophi & eruditi homines speculantur in cœlo & terra, & corporis humani symmetria & connexione: sed etiam quæ plebei solo oculorum adminiculo percipiunt.

3 Id verò præ omnibus alijs creaturis in homine maximè perspicuū esse:qui idcirco à quibusdam Microcosmos dictus, in sūma admiratione à Dauide habetur.

4 Fœdam igitur esse hominum ingratitudinem,qui dum in se continent officinam innumeris Dei operibus nobilem,quum erumpere deberent in eius laudes,tanto maiore fastu contrà inflantur & turgent: naturæ adscribendo quæ solius Dei sunt.eò verò fœdiorem esse,quòd anima hominis eiusmodi sit,vt,vel ea tantùm probè cōsiderata,nullus omnino relinquatur cęcitati locus:cuius tam agiles motus, tam præclaras facultates, tam raras dotes diuinitatem præ se ferre necesse est. nec obstare, si quid organicum in anima statuatur.

5 Primùm hoc ipsum fusiùs prosequitur, multis rationibus euincens,animæ vires & actiones eiusmodi esse,vt cuiuis perspicuum sit,suas animæ esse partes à corpore separatas: Deinde contendit, notitiam Dei in gubernatione quoque eius lucere: ac proinde illud diluit, quod quidem blaterant de arcana quadam inspiratione quæ mundum vegetet, quasi mundus suus ipse creator esset.

6 Superiora concludit: atque contendit, Dei potentiam, æternitatem, & bonitatem ex hoc primo genere operum Dei, quæ ordinarium cursum sequuntur (siue creationem, siue gubernationem spectes)addiscere nos posse.

7 Deinde ad secūdum genus operum Dei veniens quæ

quæ ſcilicet præter ordinarium naturæ curſum eueniunt, ijs quoque ineſſe vult nihilo obſcuriora diuinitatis argumenta. in ijs nempe lucere Dei Clementiam, Seueritatem, Miſericordiam.

8 Tum etiam prouidentiam, Potentiam, & Sapientiam.

9 Inde concludit, ex huiuſmodi rebus facile erui poſſe aſſerendæ Maieſtatis diuinæ teſtimonia: eaque ipſa nos inuitare, non ad nudam Dei notitiam, ſed ad eam quæ ſolida eſt, & cum religione vera coniuncta.

10 Tum etiam pios ad ſpem futuræ vitæ animare & erigere: impios verò talia ſeueritatis diuinę præludia monere, maiora illis ſupplicia parata eſſe. atque ita præcedentia omnia concludit: ſic tamen, vt ad ſequentia etiam viam ſibi muniat.

11 * Secundam partem capitis ingreſſus, ſtuporem, de quo loquitur, non tantùm plebeis & indoctis, ſed etiam eruditis, & optimis quibuſque ingenijs accidere cõtendit: vniuerſalem rerum ordinem naturæ, adminiſtrationem ordinariam fortunæ tribuentibus.

12 Hinc emerſiſſe immenſas illas turbas deorum, & opiniones philoſophorum de Deo, cùm infinitas, tum etiam ſibi inuicem contrarias.

13 Atque ita ad vnum omnes diſceſſionem a Deo feciſſe: quippe qui puram religionem adulterarunt, quantumuis aut vrbis alicuius conſuetudinem, aut antiquitatis conſenſum (ad quæ duo illi religionem omnem exigendam putarunt) ſecuti fuerint.

14 Lampades ergo quæ in mundi opificio eiuſque adminiſtratione nobis accẽduntſic nos vndiq; irradiare, vt tamen in rectam viam per ſe nequaquam perducere poſſint.

15 Omni tamen excuſatione nos meritò excludi, quòd hebetudinis vitium intra nos habentes, vagi & palantes erramus, quum omnia rectam viam cõmonſtrẽt.

Hæc poſterior pars capitis perinde ſe habet ad priorẽ, ac quartum caput ſe habet ad tertium. ac proinde perſpicuitatis cauſa aliquãto melius vel iſtud in duo diſſecari potuiſſet, vel tertium & quartum in vnum cõtrahi: quo magis quæ duo in ijs tractat, ſibi inuicem reſponderent.

vtile est in eius gloriam, quodque de eo scire nostra re-
1. fert. Cumque duæ sint eius species: vna, qua Creatorem
2. agnoscimus, altera, qua Redemptorem apprehendimus, se, hac in alium locum reiecta, nunc tantùm de priore agere. eius summam esse, vt extra ipsum nihil vsquam boni, in ipso verò, omnem perfectionem & solidam felicitatem statuamus.

13 Ob eamq; causam expedire nobis, non tã quid sit, quàm, vt qualis sit, quæramus. eum autem talem esse, vt eius notitia primùm ad timorem ac reuerẽtiam nos instituat: deinde & illud efficiat, vt in illo omne bonum quærere, & illi acceptũ ferre discamus. Vnde & desideriũ illi adhærendi, & fiducia in ipsum sua sponte nascitur.

CAP. III.

Dei notitiam hominum mentibus naturaliter esse inditam.

QVENDAM inesse humanæ menti, & quidem naturali instinctu diuinitatis sensum, eumq; adeo amplum, vt suo ipsorũ testimonio damnẽtur, qui Deum nõ colũt, quẽ opificẽ suũ agnoscũt: nullamq; gẽtem tã barbarã esse, quæ nõ eodẽ sensu tãgatur: id quoq; vel ipsos idololatras satis fateri, quũ lignum potiùs & lapidem colere malint, quàm, vt nullum putentur habere Deum.

2 Vanissimum igitur esse, quod a quibusdam dicitur, paucorum vafritia excogitatam esse religionẽ, quò melius in officio plebem continerent, &, vel impios ipsos, quod de Deo nescire cupiunt, & extinctum volunt, velint tamen nolint, subinde sentiscere.

3 Eiusmodi diuinitatis sensum ita insculptũ esse mẽtib⁹ humanis, vt nec obliuio, nec malitia eũ penitus delere vnquã possit: quãuis huc multi neruos omnes intẽdãt, nihilq; magis in votis habere videantur. adeoq;, eos oẽs à creationis suę lege degenerare, qui nõ ad hũc scopũ vniuersas vitæ suæ cogitationes actionesq; referunt.

CAP.

CAP. IIII.

Eandem notitiam partim inſcitia, partim malitia, vel ſuffocari, vel corrumpi.

QVANVIS omnibus diuinitus inditum ſit religionis ſemen, paucos tamen conceptum in ſuo corde fouere, nullum prorſus eſſe in quo matureſcat: tantum abeſſe, vt fructus appareat ſuo tempore, eius autem rei duas cauſas eſſe, inſcitiam nimirum, & malitiam. quod ad priorem attinet, ab ea eſſe, quòd in ſuis ſuperſtitionibus nonnulli euaneſcant: neque tamen excuſabiles ſint, quòd errore labantur: quia eorum error primùm vanitatem cum ſuperbia coniunctam habet:

2 Deinde, & contumaciam.

3 Hinc cõcludit, inane patrociniũ eſſe, quod ſuperſtitioni ſuæ prætexere ſolent: idq; ratione primùm, tum etiam & authoritate confirmat.

4 Quod ad alterã ſpectat, malitiam ſcilicet, eâ fieri, vt nunquam ad Deum appropinquent, niſi renitentes pertrahãtur. eos tamen per flexuoſos circuitus ſuæ qualiſcunq; religionis eniti, vt Deo quem fugiunt, propinqui appareãt. in eis igitur manere illum diuinitatis ſenſum: ſed adeò corruptum, vt non niſi peſſimos ex ſe fructus producat.

CAP. V.

Dei notitiam in mundi fabrica, & continua eius gubernatione lucere.

Huius capitis duæ partes ſunt: quarum prior eſt, qua hic tituli vice præfigitur, de qua, 1-10. altera, Nos tamen adeò ſtupidos eſſe, vt teſtificationes iſtæ quantumlibet perſpicuæ ſemper ſine profectu effluant, de qua ab 11-15.

1-10: hoc eſt, ab initio primæ, vſq; ad finem ſectionis decimæ.

Quod ad priorem attinet, quò melius quod pollicetur probet, in duo genera vniuerſa Dei opera diſtribuens, in vtroq; Dei notitiam elucere contendit: priorig; 1-6. &c. alteri à 7-10. ſectiones deſignat.

QVANVIS eſſentia Dei ſit incomprehẽſibilis, ſic tamẽ operibus ſuis certas quaſdã gloriæ ſuæ notas

origine agit) 11. *Quintò, contendit æquum esse, vt solus in solidum colatur*, 12. *Postremò, de vnitate essentiæ diuinæ, & personarum distinctione agit. cap.* 13.

Quod ad alterum spectat, nempe notitiam hominis, primùm de creatione mundi, de Angelis, & diabolis, quòd hæc omnia in hominis gratiam creata sunt, agit, 14. *Deinde, ad hominem ipsum veniens, naturam viresq; eius examinat*, 15.

Quò verò vtrunque, Dei scilicet notitiam, & nostri, meliùs illustret, ad omnium humanarum actionum, totiúsque mundi gubernationem, contra fortunam & fatum, descendit. 16-18. *vel*, 16. 17. *&* 18.

Liber primus. CAP. I.

Dei notitiam & noſtri, res eſſe coniunctas: & quomodo inter ſe cohæreant.

TOTAM ſapientiæ noſtræ ſummam duabus partibus conſtare docet: Dei cognitione,& noſtri. vtra tamen prior ſit, difficillimè dijudicari, cum tam multis inter ſe vinculis connectantur. Nam primò ſe hominem aſpicere non poſſe, niſi ad Dei intuitum ſenſus ſuos protinus conuertat: ſiue dotes ſuas,quibus è cœlo diſtillantibus,tanquam riuulis quibuſdam ad Deum diducitur; ſiue miſerabilem tenuitatem ſuam,qua de omnium bonorum infinitate quæ in Deo reſidet admonetur, conſideraverit.

2 Rurſus hominem falſis imaginibus deceptũ eſſe, quandiu ſe reputando,aut in ſe, aut in cæteris creaturis acquieſcit, nec oculos ad Deum ſolum attollit, duabus ſimilitudinibus oſtendit.

3 Confirmatio ab effectis. Dei enim claritatẽ eiuſmodi eſſe, vt ſanctiſſimi quique ingenti horrore percellantur,quoties ſuam gloriam ipſis manifeſtat Deus: qui tamen ipſo abſente videntur ſibi nonnihil eſſe.

CAP. II.

Quid ſit Deum cognoſcere: & quem in finem tendat eius cognitio.

EAM ſe Dei notitiam intelligere,qua non ſolùm concipimus aliquẽ eſſe Deum:ſed etiam tenemus quod

CAP. VI.

* *Vt ad Deum Creatorem quis perueniat, opus esse Scriptura duce & magistra.*

**Videtur mihi à recta methodo nõ nihil exorbitare: quodrẽ ipsam aggressus, hoc est, vt de notitia Dei & nostri diceret, eam in aliud tẽpus reiecerit, vt prius de modo, quo ad eam cognitionem peruenitur differeret. at quãuis hoc loco deuiatio ista manifestiùs deprehendatur, tria tamen capita proximè præcedẽtia eò spectant, vt in argumẽto docui, & res ipsa loquitur.*

QVANQVAM hominum ingratitudinem satis superque omni patrocinio spoliet fulgor ille qui in cœlo & in terra omniũ oculis ingeritur, vt tamen ad verum Deum quis perueniat, opus esse verbi lumine: atq; hac prærogatiua dignatum fuisse Deum, non tantùm Adam, Noe & Abrahamum, sed etiam quoscunque voluit propius & magis familiariter ad se colligere.

2 Id verò primùm per oracula & visiones: Deinde promulgatione Legis, vt doctrinæ veritas seculis omnibus superstes maneret in mundo: cui postea additi sunt Prophetæ. quò magis intelligamus, vt nobis affulgeat vera religio, exordium à cœlesti doctrina fieri debere.

3 Hoc ipsum confirmat: primum à naturæ nostræ prauitate, eam scilicet eiusmodi esse, vt ad verbum necessariò veniendum sit, quicunq; ad synceram Dei contemplationem seriò aspirare volet: deinde ab eo, quòd Dauid sæpius Deum regnantem inducat:

4 Tertiò, manifestis quibusdam locis ex psalmis desumptis: postremò, dicto quodam ipsius Christi.

CAP. VII.

Quo testimonio Scripturam oporteat sanciri: nempe Spiritus, vt certò constet eius authoritas. atque impium esse commentum, fidem eius pendere ab Ecclesia.

Hic, quoniam in Scriptura mentionem incidit, eamque vult esse vnicam magistram qua nos in agnitionem Dei deducat, ad stabiliendam Scripturæ authoritatem paulisper digreditur. Cap. 7. 9.

NON alio iure plenam apud fideles authoritatẽ obtinere Scripturas, quam vbi statuimus sermonẽ Dei esse, & è cœlo fluxisse, ac si viuæ ipsæ Dei voces illic exaudi-

audirentur. eas autem ab Ecclesiæ authoritate pendere, errorem esse pernicioſissimum, Spiritui sancto iniurium, miseris conscientijs anxietate plenum, & sannis impiorum obnoxium.

2 Optimè refelli hoc commentum ex loco Pauli Ephes. 2. 20. Deinde si vrgeant, vnde persuadebimur à Deo fluxisse, nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus, perinde esse, acsi quis roget, vnde discernere à tenebris; album, à nigro; suaue, ab amaro.

3 Quo sensu accipiendum sit tritum illud Augustini, quo Euangelium se crediturum negauit, nisi * Ecclesiæ ipsum mouisset authoritas: quod illi malitiosè detorquent ad erroris sui patrocinium.

* *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Io. 20. 29.*

4 Si ergo volumus, vt non tantùm opinione probabili, sed liquida veritate pateat, Scripturas à Deo fluxisse, altiùs quàm ab humanis vel coniecturis, vel rationibus, nempe ab arcano Spiritus testimonio, petendam esse hanc persuasionem. cuius rei confirmandæ licet argumenta quoque abundè suppetant, eos tamen præposterè agere, qui disputando contendunt solidam Scripturæ fidem adstruere: quandoquidem, etsi hoc pacto sacrum Dei verbum asserãt à maledictis hominum, non protinus tamen quam requirit pietas certitudinem cordibus infigent.

5 Scripturam quidem sua sibi vltrò maiestate reuerentiam conciliare: tunc autem seriò nos afficere, quum per Spiritum sic obsignata est cordibus nostris, vt iam, non aut nostro, aut aliorũ iudicio credimus eam à Deo esse (qualiter plerique rem incognitam recipiunt, aut qualiter miseri quidem homines solent superstitionibus mentem captiuã addicere) sed quia certo certiùs (quod omnes fideles experiuntur) sentimus, illic non dubiam vim numinis vigere & spirare. Talem persuasionẽ * non requirere rationes quibus incumbat.

* *Qui biberit ex aqua quam ego dabo illi, nõ sitiet in æternum. Ioan. 4. 13.*

meretricio ipſarum imaginum: adeoq; Papiſtas, ſi quid frontis habent, non poſſe deinceps contendere eos, eſſe alicuius ſanctitatis libros. Poſtremum à circũſtantia loci: nam vtcunque Gregorio concedi poſſit, alibi idiotarum libros eſſe imagines, non tamen hanc eſſe in ſacris locis docendi fidelis populi rationem, vbi verbi prædicatio, & Sacramentorum adminiſtratio vigere debet.

8 Hinc ad originem idolorum tranſit: quæ non vult ex eo fonte, quẽ liber Sapientiæ commemorat, primùm emanaſſe, ſed è cæca hominum infidelitate, quòd Deum ſibi adeſſe non credant, niſi oculis cernant corporeum aliquod vultus eius ſymbolum, quod ſibi teſtimonium ſit præſentiæ Dei.

9 Vbi primùm tale figmentum receptum eſt, adorationẽ protinus ſecutam eſſe, idque neceſſariò: diuerſa autem ratione. alios enim coluiſſe idola, quòd illis diuinitatem aliquam adſcriberent: alios verò, vt per ea ad Deum ipſum (cuius ſigna ea eſſe volebant) cultus ſuos omnes tranſmitterent. vtrunque hoc genus adorandi abominabile eſſe: ideoq; Papiſtas fœdiſſimè hallucinari.

10 Papiſtas hoc nomine reprehendendos eſſe, multis rationibus oſtenditur.

11 Neque ſe expedire poſſe trita ſua diſtinctione, de Dulia & Latria, primùm oſtenditur ex verborum ſignificatione: deinde, quòd vtcunque verbis pugnant in rebus tamen (quod vnum nos quærimus) nullum prorſus faciant diſcrimen.

12 Se tamen non ea ſuperſtitione teneri, vt nullas prorſus imagines ferendas eſſe cenſeat. Dei verò in primis maieſtatem, quæ oculorum ſenſu longè ſuperior eſt, effingi viſibili ſpecie non debere: ſed ea tantùm, quorum ſunt oculi noſtri capaces. Huius autem generis imagines ſemper eſſe aut hiſtoricas, aut perſonales tantùm: priores aliquid vtilitatis habere, alteras nihil quàm oblectationem afferre.

13 In

13 In templis verò collocari non debere imagines (ne hiſtoricas illas quidem) probatur duplici argumento: ab inutili, & indecenti.

14 At quoniam Papiſtæ tantopere gloriantur de ſynodo illa Nicena, quæ Irenes Imperatricis iuſſu & auſpicijs habita eſt, oſtendit primùm, quàm futilibus argumentis imagines in templis primùm collocandas:

15 Deinde, adorandas eſſe confirmarint (adeoque omnem ſibi fidem abrogaſſe reuerendos illos Patres, Scripturas vel tam pueriliter tractando, vel tam impiè fœdeque lacerando.)

16 Poſtremò in quàm flagitioſam amentiã, & impietatũ portenta, nemine prorſus reclamãte omnes ſimul prolapſi ſint: peſſimæ nimirũ cauſæ iniquiſſimi patroni.

Cap. xii.

Deum ab idolis diſcerni, vt ſolus in ſolidum colatur.

Quoties aſſerit Scriptura vnicum eſſe Deum, nõ pugnare de nudo nomine, ſed hoc etiam præcipere, ne alio transferatur quicquid in diuinitatem competit. Id probatur ex religionis etymologia: & eo loco, vbi in promulgatione Legis Deus, vt ſibi ius ſuum vendicet, clamat ſe eſſe æmulum, ac ſeuerum vltorem, ſi cum vllo fictitio Deo miſceatur.

2 Papiſtarum diſtinctionem de Latria & Dulia, adeo nihil pro illis facere, vt eos maioris etiam impietatis arguat, oſtenditur ex verborum ſignificatione.

3 Deinde etiam ex varijs Scripturæ locis. vbi &c. pa. 5.

Cap. xiii.

Vnicam Dei eſſentiam ab ipſa creatione tradi in Scripturis, quæ tres in ſe perſonas continet.

Huius capitis duæ ſunt partes. nam primò doctrinam ipſam tradit, à 1-20 deinde hæreſes quaſdam refutat, 21-29.

Quod ad primam attinet, ea quoque duas quodammodo partes habet. nam quò melius quod vult aſſequatur, duo præmittit priuſquam ad

si præcipuum illud & summum, velut secundaria nostræ imbecillitatis adminicula subsequantur. Ibidem.

CAP. IX.

Omnia pietatis principia euertere fanaticos, qui posthabita Scriptura, ad reuelationem transuolant.

SPIRITVM, cuius magisterium vertiginosi quidam fastuosissimè obtendunt, non esse Spiritum Christi, diuersis rationibus ostenditur.

2 Si quis spiritus, præterita verbi Dei sapientia, aliâ doctrinâ nobis ingerit, eũ meritò vanitatis & mendacij suspectũ esse debere. neq; vero indignum esse (quod illi causantur) Spiritum Dei, cui subijcienda sunt omnia, Scripturæ subiacere: quandoquidem non ad humanam, aut angelicam, aut alienam quãuis regulam exigitur, sed ad eam, qua suam apud nos maiestatem sanciri voluit.

3 Quòd verò litteræ occidẽti nos incumbere cauillantur, in eo pœnas illos luere contemptæ Scripturæ, dũ suã ignorantiã produnt, non rectè verba illa intelligentes. nec his repugnare quod nuper dictũ est, verbũ ipsum non valdè nobis certũ esse, nisi Spiritus testimonio confirmetur. quippe qui, vt omni veritatis luce, sine Dei Spiritu orbatos nos videmus: ita non ignoramus verbum esse organũ, quo Spiritus sui illuminationem fidelibus Dominus dispensat.

CAP. X.

Scripturam, vt omnem superstitionem corrigat, verum Deum excluſiuè opponere dijs omnibus Gentium.

NVNC ad Dei notitiã, à qua paulisper digressus fuerat, tractandum reuersus, Dominum cõtendit se talem in Scriptura nobis representare, qualẽ in operibus suis deliniarit. (neq; se adhuc loqui de cognitione Mediatoris, sed Creatoris tantùm, vt suprà, Cap. 2. sect. 1.)

* Nempe

2 * Nempe æternum & bonum, qui faciat misericordiam, iudicium & iustitiam in veritate. nec in alium finem hanc Dei notitiam nobis in Scriptura proponi, quam vt inde discamus timorem & fidem.

3 Scripturam, vt ad verum Deum nos dirigat, discertè excludere deos omnes Gentium. quin & idololatras ipsos vnitatem Dei quodammodo agnouisse.

**Mea sententia nō malè faciet, quisquis hac methodo non cōtentus, accuratiorem ipse elaborauerit, quòd author ipse, & hoc loco multa pretermittat, & quacunque vel hic, vel alibi de Deo habet (quemadmodū & alij fere omnes) nulla certè methodo (vt ego arbitror) satis aperta, & accurata congesserit. Et quamuis non dubitem &c. Annot. pag. 1.*

CAP. XI.

Deo tribuere visibilem formam nefas esse: ac generaliter deficere à Deo quicunq; idola sibi erigunt.

IMPIO mendacio corrūpi Dei gloriam quoties ei forma vlla affingitur. neq; Deum habere rationem, cuius rei, hominisne, an alterius animantis imago fuerit, quasi altera magis, altera minùs conueniat: sed omnes absque exceptione repudiare.

2 Hanc suam &c. pa. 5.

3 Quod obijci posset, Deum interdum numinis sui præsentiam quibusdam signis exhibuisse, & propitiatorium imagunculis exornasse, apertè simul monuisse homines de incomprehensibili & inuisibili eius essentia, adeoque nihil pro imaginibus facere.

4 In huius rei confirmationem argtmentum ducitur à materia idolorum. nec tamen Græcos minùs desipere, qui bellè se defunctos putant, si Deum non sculpant, dum in picturis licentiosiùs, quàm vllæ aliæ gentes lasciuiunt.

5 Quod ex Gregorio obijci solet, imagines esse * libros idiotarum, quàm sit friuolum ostenditur varijs argumentis. primum ducitur ab authoritate Scripturæ, quæ futile ac mendax esse docet, quicquid de Deo ex imaginibus homines didicerint.

** Doctrina vanitatis eorum lignum est. Ierem. 10. 8*

6 Alterum ducitur à testimonio quorundā Patrum & Varronis Ethnici.

7 Tertium, à perditissimo luxu, & ornatu plus quam

CAP. VIII.

Probationes, quatenus fert humana ratio, satis firmas suppetere, ad stabiliendam Scripturæ fidem.

QVANVIS nunc ad argumenta descendat, nisi tamen certitudo adsit, quolibet humano iudicio & superior & validior, frustra Scripturæ authoritatem vel argumentis muniri, vel Ecclesiæ consensu stabiliri, vel alijs confirmari præsidijs: sicuti econtrà, vbi eam religiosè, & vera fide amplexi sumus quæ ad eius certitudinem animis nostris infigendam non adeò valebant, tunc aptissima adminicula futura esse. Quæ præfatus, ad argumenta se accingit. ac primùm, quanuis incipiat hoc argumentum in genere pertractare, sensim tamen ad ea dilabitur, quæ ex vetere tantùm testamento desumpta sunt. argumenta verò sunt, quod Scriptura tam sit ordinata & disposita doctrina: vbique cœlestis, & nihil terrenum redolens: quòd tam pulchra sit partium omnium inter se consensio: maximè verò, quòd sublimia regni cœlestis mysteria nobis, sub contemptibili verborum humilitate depromat, atque ita afficiat, & impellat vt omnis rhetorum facundia longè inferiore loco subsideat.

2 Nec tamen deesse quibusdam è Prophetis suam facundiam: quemadmodum nec pseudodoctoribus incultum sermonem (sed quæ sit inanis, & putida affectatio) quò se fallaci simulatione meliùs insinuent in animos simplicium.

3.4. Porrò, leuis momenti non esse antiquitatem: (vbi obiter conuellit fabulosam illam Ægyptiorũ vetustatem:) tum etiam æquitatem in scribendo, provt quæque facta sunt, dum non reticet Moses, quæ & tribum & familiam suã infamię, & dedecoris labe aspersura essent.

5.6 Miracula etiam, & multa, & insignia: de quibus quàm

quàm nulli fas sit dubitare, firmissimis rationibus ostenditur.

7 Quædam deniq; prophetico Spiritu longè antè prolata, quàm re ipsa completa sint: primùm per ipsum Mosem:

8 Deinde per quosdam è reliquis prophetis.

9 Hîc pedẽ sistit:& priusquam ad nouum Testamẽtum descendat,duo tollit obiecta:quorum prius est:Quî sciamus,à Mose & Prophetis hæc fuisse scripta, quæ sub eorum nominibus legũtur: quasi iam antè perijssent eorum opera. hoc obiectũ & salsè ridet, & abundè refellit.

10 Alterum, Quum Antiochus libros omnes iusserit concremari, vnde prodierint, quæ nunc habemus exemplaria. hoc obiectum (à se priùs non nihil confirmatum) in ipsorũ caput retorquet:contendens tale esse, vt nihil ad Scripturæ certitudinem stabiliendam excogitari possit aptius.

11 Quibus transactis ad nouum Testamentũ venit, atq;, ex eo ad Scripturæ certitudinem asserẽdam affert Euangelistarum consensum; abiecto sermone de cœlestibus mysterijs differentium:Ioannis orationem grauibus sententijs, quasi è cœlo tonantem: in Petri & Pauli scriptis relucentem cœlestem maiestatem:Matthæi,Petri,& Ioannis insignem vocationem:& beati Pauli mirabilem conuersionem.

12 Nec pro minimo ducendum esse, quòd ex quò Scriptura publicata fuerit, tot seculorũ voluntates constanter in eius obedientiã consenserint:deinde quòd ex ijs qui sic conueniunt, nonnulli insigni pietate clareant.

13 Id denique meritò magnũ censeri debere, quòd tot sanctorum virorum sanguine sancitum & testificatum videmus. vbi etiam Martyrium pulchrè describit.

Atque ita concludit, vtcunque interiore Spiritus sancti persuasione fundata esse debeat Scripturæ certitudo, eiusmodi tamen testimonia non fore inania,

rem ipsam veniat. Primò enim & quid sibi velit per nomen Personæ ostendit 2-6. & Deitatem probat cum Filij 7-13. tum etiam Spiritus sancti, 14-15. Deinde, quid sit de trinitate sentiendum explicat, 16-20.

SCRIPTVRAM, cùm Dei essentiam & immensam & spiritualem esse tradit, non tantùm vulgi deliria, & prophanę philosophiæ argutias, sed Manichęorũ etiam & Anthropomorphitarum hæresim euertere.

2 Sic in vna Dei essentia tres esse personas, vt nec Deus triplex sit, nec simplex Dei essentia tribus Personis laceretur. qua etiam occasione, de Persona tractare incipit.

At quoniam exigui momenti res non est, pressius contra eos agit, qui Personæ nomen in hoc negotio admittendum non censent, 3-5.

3 Non esse vocabulum exoticum, sed tantum adhibitum, vt quæ captui nostro perplexa in Scripturis impeditaque sunt, verbis planioribus explicemus: hoc qui non ferant, lucem veritatis indignè ferre.

4 Necessitate coactos fuisse pios doctores, vt huiusmodi voces adhiberent, tam ad veritatem contra calumniatores asserendam, quàm ad ipsorum hæreses & errores, qui inuolucris verborũ tenebantur detegendos.

5 Neminem verò tam morosum, aut austerum esse debere, vt ob nudas voces digladiari velit. eos contra, qui nomina non temerè inuenta repudiant, nonnullam suspicionem inijcere, vel Arrij se esse discipulos, vel Sabellij. eos quippe fouere occultum virus, quicunque de verbis pertinaciùs litigant.

6 Omissa verò de vocibus disputatione, exponit quid sibi velit per nomen Personæ: nempe, Subsistẽtiam in Dei essentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguatur: quas tres partes definitionis sigillatim explicat.

7 Quod ad deitatem Filij attinet, eum quidẽ Deum esse, ex eo liquere, quòd Sermo Dei dicatur: quandoquidem absurdissimum fuerit imaginari fluxam dũtaxat

&

& euanidam vocem, quæ in aërem emissa prodeat extra Deum, cuiusmodi & oracula Patribus edita, & prophetiæ omnes fuerunt: quum perpetua magis Sapientia indicetur apud Deum residés, vnde & oracula, & prophetiæ omnes prodierunt: maximè verò, quòd ille quoque Sermo ab æterno cũ Patre, & vnus idéq; in opere fuerit.

8 Cauendos itaq; esse quosdam canes, qui suam illi Diuinitatem eripere nullatenus videri volunt: quod tamen clam faciunt, dum æternitatem ei suffurantur. vnde contra istos æternitas eius astruitur.

9. 10. Filium esse Deum, ex nonnullis veteris Testamenti locis probatur: cum refutatione quarundam, tùm Iudæorum, tum etiam Serueti cauillarum.

11 Idem ex nouo Testamento probatur: idque primùm ex huiusmodi locis, quibus Christo Apostoli multa tribuunt, quæ de æterno Deo in vetere Testamento dicta sunt: deinde ex alijs quibusdam testimonijs, quæ simpliciter & apertè hoc ipsum asserunt.

12 Tum etiam ex operibus, quæ illi tribuuntur: nempe, quòd vnà cum Patre operetur, quòd mundum administret, quòd peccata remittat.

13 Pòst ex miraculis: non tantùm quòd ipse talia faceret, quæ diuinitatem arguãt: sed etiam quòd eorundem dispensationem discipulis sua authoritate committeret, quo se verum miraculorum authorem demõstraret. Quibus vltimo loco & alia quædam argumenta ex Scripturis annectit, quæ diuinitatem Christi abũdè probent: nempe, quòd extra eum nulla sit vita, in eo verò omnis initio vita fuerit: quòd in eum credere, & eum inuocare doceamur: quòd Apostolus neget se vllam, quàm Christij doctrinam Corinthijs tradidisse, & in Epistolis eadem beneficia à Filio precetur, quæ à Patre. quæ omnia cùm notitiam practicam vocet, eo ipso se prodit vnde hæc argumẽta duxerit, ab illis scilicet, quæ longè à creaturis aliena, Scriptura ei tribuit: quæque nos ipsi certa

experientia discimus.

14 Quod ad Deitatem Spiritus sancti spectat, eam probari posse ex. duobus illis locis Veteris Testamenti, (Gen.1.a.2.& Isa.48.c.16.) se tamen malle ex illa notitia practica eam petere: primùm scilicet,quòd vigore proprio omnia vegetat & viuificat in cælo & in terra: deinde,quòd sanctos regeneret in vitam incorruptibilem.

15 His etiam accedere,quod quũ de ipso Scriptura loquitur, à Dei appellatione non abstineat: quodque quum veniam obtineat qui in filium blasphemauit, blasphemia tamen in Spiritum sanctum,neque in hoc seculo,neque in futuro remittatur.

16 His præmissis ad Trinitatem asserendam se accingit. ac primò quidem contendit, tres illas Personas vnum esse Deum, quandoquidem, licet in nomen Patris,& Filij,& Spiritus sancti baptizemur, eo tamen ipso in vnius Dei fidem ac religionem initiemur.

17 Sic tamen accipiendam esse hanc in Dei essentia vnitatem,vt quædam Patris à Verbo, Verbi à Spiritu distinctio in Scripturis demonstretur. eam verò esse nihil prorsus quàm distinctionem,non autem diuisionem: quæ scilicet cogitationem seorsum distractam nullatenus detineat,sed ad illam vnitatem semper reducat.

18 Qualis sit ista distinctio, si quis indagare velit, cauendum sibi esse à similitudinibus à rebus humanis mutuatis, idque duplici nomine: è Scripturis verò petendam esse,quam ibi notatam animaduertimus. vbi etiam qualis ea sit breuibus ostendit.

19 Distinctionem istã non impedire,quò minus simpliciſſima Dei vnitas maneat: quẽadmodum in vnaquaq; hypostasi tota intelligitur natura,cũ hoc,quòd subest sua vnicuiq; proprietas,quæ nulla essentiæ differẽtia seiungi alterum ab altero sinit,sed tãtùm relatione quadã distingui: atq; ita conciliandas esse veterum quorũdam sententias,quę alioqui nõnihil inter se pugnare viderẽtur.

20 Summam

20 Summam autem omnium hanc esse, vt intelligamus sub nomine Dei vnicam & simplicem essentiam, in qua comprehendimus tres Personas vel hypostaseis: sic tamen, vt Dei nomen ordinis gratia, semper ad Patrē in relatione referatur, quæ tamē ex Filij & Spiritus deitate nihil minuat.

21 Se hactenus dociles tantùm quasi manu duxisse: nunc sibi cum præfractis & contentiosis certamen ineūdū esse: eatenus saltem vt dociles habeant, in quo certo pede consistant. atque hic quidem, si quando aliâs, sobrietatē singularem se requirere, ne aut cogitatio, aut lingua vltra procedat, quàm verbi Dei fines se protendunt.

22 Initiò profitetur se, neque hæresium catalogum velle texere, quibus in hoc doctrinæ capite fidei syncericas olim tentata fuit, neq; ampliùs cū Arrio aut Sabellio pugnaturum: sed tātum cū Serueto & alijs quibusdam nostri temporis. Serueti autem heresim hac vnica sectione tollit.

Quod ad aliorum haresim attinet, Patrem scilicet verè & propriè vnicum esse Deum, eumq;, Filium & Spiritum formando, suam in eos deitatem transfudisse, adeoq; Patrem esse (vt loquuntur) solum essentiatorem; in hac refutanda totus est vsq; ad finem capitis, 23-29.

23 Ac primùm quidem erroris huius vanitatē multis modis detegit: probatq; nihil pro ipsis facere, quod passim Christus vocetur Dei Filius.

24 Deinde falsum esse contendit quod sumūt, quoties absolutè fit Dei mētio in Scriptura, non nisi Patrem intelligi. vbi primùm obiectionem quandam eorum diluit: deinde ex tribus Scripturæ locis tria argumenta eruit: tertiò contendit locum Isaiæ (44.a.6.) nihil pro illis facere: Postremò duo alia obiecta tollit.

25 Illos verò in eo hallucinari, quòd indiuidua somniant, quorū singula partem obtineant essentiæ: putentq; se ex nostra sentētia colligere, Quaternitatē statui: quasi diriuatiuè fingamus prodire ex vna essētia tres personas

26 Ad obiectũ primùm redit: Christũ, si propriè sit Deus, Filiũ Dei perperam vocari: nomẽ scilicet Dei exclusiuè ad Patrẽ restringi, vt Filio auferatur, nõ debere.

27 Quàm apertè suam inscitiam prodant, quòd locos quosdam accumulant ex Irenæo, vbi patrem Christi asserit esse vnicum & æternum Deum Israel.

28 Tertullianum, quem sibi patronum asciscunt, nihil pro ipsis facere.

29 Iustinum, Hilarium, & Augustinum totos nostros esse.

CAP. XIIII.

In ipsa mundi & rerum omnium creatione Scripturam certis notis discernere verum Deum à fictitijs.

Secundam partem libri ingressus quæ est de notitia hominis, hoc capite quædam præmittenda censet. quam ob causam primùm de creatione mundi in genere agit, 1. 2. deinde de Angelis, 3-12. tertiò de Diabolis, 13-19. Postremò ostendit quis sit fructus, qui ex creationis historia ad nos redire debet, 20-22.

QVanquam ex terrę fundamẽtis & cælorum ambitu cognosci posset Deus, ne tamen ad Gentium figmenta defluerent fideles, historiã crẽationis extare voluit, cui innixa Ecclesiæ fides non aliũ Deum quæreret, nisi qui propositus est à Mose opifex mundi. ac primò notari tempus, vt nos ad verum Creatorem deducat. vbi refutatur profana eorum subsannatio: mirum esse, cur non citiùs venerit Deo in mentem cælum & terram cõdere: eaque occasione curiositas taxatur.

2 In eundem finem narrari primùm non vno momento, sed sex diebus absolutũ esse opus; ne scilicet molestum nobis esset, in eius consideratione occupari toto vitæ cursu: deinde & ordinem describi, nempe non antè creatum fuisse Adam, quàm Deus mundum omni bonorum genere locupletasset; testimonium quidem certissimum, mirificæ erga nos bonitatis Dei.

Iam ą-

Iamq; oblata est accasio de creatione & natura hominis dicendi. Verùm, vt de Angelis & Diabolis aliqua præmittat, hanc quam dixi tractationem de homine in proximum caput reijcit.

3 Quod igitur ad Angelos attinet, contendit hoc caput doctrinæ in historia creationis necessarium esse (vtcunque Moses populariter loquens, & vulgi ruditati se accommodans, non statim ab initio Angelos recensuerit inter Dei creaturas) primum, vt ex ijs quoque discamus agnoscere Deum: deinde, vt aduersus errores quosdam muniti simus, tam eorum qui Angelicæ naturæ diuinitatem aliquam tribuunt, quàm Manichæi, duo principia inducentis: quod quàm inane sit commentum fusiùs ostendit.

4 De tempore vel ordine quo creati fuerint, non pietatis, aut diligentiæ; sed curiositatis & peruicaciæ esse. Dionysij Hierarchiam meram esse garrulitatem. qua etiam occasione curiosos rursus optimè perstringit.

5 Angelos autem spiritus cælestes esse, quorum ministerio & obsequio vtitur Deus, non tantùm in genere ad exequenda omnia quæ decreuit (ob eamque causam dici Exercitus, virtutes, Principatus, &c.)

6 Sed etiam ad testandam suam erga nos prouidentiam & curam: ad consolationem nostram, & fidei confirmationem.

7 Neq; tamen certum esse, vnicuiq; nostrum suum constitutum esse angelum: illud autem certissimum, vno cõsensu in vniuersum omnes vigilare pro salute nostra.

8 De ordinibus, multitudine, & forma angelorum hoc tantùm vult dicere: vtrum alij alijs emineant certis quibusdam honorum gradibus, ex Scriptura statui non posse, seque id malle in medio relinquere: multitudinem valdè ingentem & numerosam esse: formam corporeis oculis minimè conspicuam; licet alati aliquoties dicantur, vt festinationem & celeritatem Dei in opitulando nobis depingant.

9 Angelos non esse qualitates aut inspirationes sine substantia, sed veros spiritus naturæ subsistentis: contra Sadducæos & eorum similes.

10 Quod autem ad id genus superstitionis attinet, quod de adoratione angelorum obrepere solet, primùm concedit, quum in eis fulgor numinis diuini refulgeat, nihil esse magis procliue, quàm in eorum admirationem stupore quodam nos prosterni.

11 Deinde ostendit quomodo caueatur hoc periculum: nempe, si expendamus Deum nulla omnino necessitate astrictum esse, vt in nobis subleuandis eorum opera vtatur, quasi illis carere non possit: sed quicquid in hoc genere facit, ad solatium nostræ imbecillitatis se facere.

12 Adeoque quicquid de angelorum ministerio dictum est, non vt nos à Deo ad angelos abducat, sed vt nos per angelos ad Deum, & eius præsentiæ viuaciorem sensum deducat, dictum esse.

Quod ad Diabolos attinet, primùm ostendit quò tendat hoc caput doctrina 13-15: tria deinde distinctius prosequitur, 16-19.

13 Quicquid de Diabolis Scriptura tradit, eò præcipuè tendere, vt soliciti simus ad præcauendas eorum insidias, & ijs armis nos instruamus, quæ ad tantũ, tamq; periculosum certamen sustinendum paria sint. in hunc finẽ nobis proponi, primùm, hostem audacia promptissimum, viribus robustissimum, artibus callidissimum, machinis omnibus refertissimum, &c.

14 Deinde, ingentem diabolorum multitudinem (quò ad agendum magis excitemur ac vrgeamur) bono tamen alio sensu, vnum esse.

15 Tertiò, aduersarium & Dei, & nostri: qui semper hæc duo sedulo agit, vt Dei regnum funditus euertat, & homines in æternum interitum secum demergat.

Iam verò, quæ hactenus dicta sunt, ne ei erroris occasionem præbeant,

beant, tria sibi (quæ dixi) fusius explicanda sumit: vnum de malitia Diaboli, alterum de potentia, tertium de natura eiusdem.

16 Quod ad primum attinet, quum à Deo conditus sit Diabolus, hanc malitiam quam eius naturæ tribuimus, non ex creatione, sed ex deprauatione esse. interim tamen cauendum esse, ne curiosiùs inquiramus de ordine, modo, tempore, & specie lapsus Diaboli: quandoquidem indignum fuit Spiritu sancto, inanibus historijs sine fructu curiositatem pascere.

17 Deinde, quantum ad potentiam eius spectat, qua scilicet discordiam & pugnam cum Deo habet, sic accipi oportere, vt quamuis voluntate & conatu (idque à seipso) semper Domino aduersetur; illum tamen nisi volente & annuente Deo, nihil facere posse.

18 Deum etiam immundos istos spiritus pro vt libitū est, huc illuc ita inflectere, vt illis fideles exercendos tantùm; impios duntaxat & incredulos gubernandos permittat.

19 Postremò, vt quales sua natura sint ostendat, falsum esse contendit quod quidam nugantur, Diabolos nihil quàm malos affectus, aut perturbationes esse, quæ nobis à carne nostra ingerantur: mentes quippe vel spiritus esse, sensu & intelligentia præditos.

20 Quod ad vltimam partem capitis attinet historiam creationis breuibus complectitur: notitiamque eius docere nos affirmat, quod de Deo scire nostra refert.

21 Eam nempe ad hoc imprimis valere, vt quas in suis creaturis conspicuas virtutes Deus exhibet, non ingrata vel incogitantia, vel oblitione transeamus.

22 Deinde & ad illud (quod ad fidem propiùs accedit) vt eas nostra causa creatas esse agnoscamus, quò magis ad ipsius fiduciam, inuocationem, laudem, amorem excitemur.

CAP. XV.

Qualis homo sit creatus: vbi de animæ facultatibus, de imagine Dei, libero arbitrio, & prima naturæ integritate disseritur.

IAM ad notitiam hominis veniens, de ea duplici nomine dicendum esse contendit: eam quoq; duplicem esse: nempe vt sciamus quales nos prima origine simus conditi, & qualis nostra conditio esse cœperit post Adæ lapsum. Primùm autem de naturæ integritate per creationem, quàm diligentissimè vult esse considerandam, ne prauitatem nostram aut Deo, aut naturæ adscribamus: Quod autem è terra sumptus sit, iniectum fuisse superbiæ frænum: quòd spiritu immortali animatus, de fictoris sui liberalitate gloriari potuisse.

2 Hominem constare anima & corpore: animam quoque non esse flatum, aut vim diuinitus infusam corporibus quę essentia careat, sed essentiam immortalem, creatam tamen. idque probatur multis argumentis: primùm eiusmodi quæ apud profanos scriptores reperias: deinde ex Scripturis:

3 Tertiò, quod homo dicitur ad similitudinem Dei creatus esse; quandoquidem imago ista licet in exteriori quoque homine quodammodo refulgeat, in anima tamen maximè eluceat. Hîc verò, quoniam obstare huic doctrinæ videt, quod Osiander imaginem Dei tam ad corpus, quàm ad animam extenderit, primò nugamentum eius refellit.

4 Deinde, vt suam sententiam confirmet, ac ostendat quibus facultatibus censeri debeat imago Dei, id vult ex instauratione per Christum colligi: nihilque aliud fuisse hanc Dei imaginẽ, quàm integram naturæ humanæ præstantiam, quæ refulsit in Adam ante defectionem. vt verò sciamus quibus partibus constet, de animæ

mæ facultatibus differendum esse.

5 Priùs verò quàm id fiat, occurrendum esse errori Manichæorum & Serueti, qui animam volunt esse traducem substantiæ Dei. eo etiam errore se implicuisse Osiãdrum: dum sine essentiali iustitia, hoc est, nisi Christus in nos substantialiter se infundat, imaginem Dei non agnoscit.

6 Atque ita ad facultates animæ explicandas veniens, primùm ostendit doctrinam philosophorum variam, incertam, & obscuram esse: quam vbi breuiter recensuit, quid sit de ea statuendum ostendit.

7 Deinde suo iudicio magis ad perspicuitatem facere, vt statuatur duas tantùm partes animæ esse, Intellectum, & Voluntatem: nec vllam reperiri posse in anima potentiam, quæ non rite ad alteram istarum referatur.

8 Has animæ partes in prima conditione adeo integras & perfectas fuisse, vt non tantùm inter bonum & malum discernere posset homo, sed etiam liberam haberet in voluntate, boni & mali electionem: quæ ambo quum per lapsum amissa sint, id quia philosophi ignorant, in ruina ædificium, & in dissipatione aptas iuncturas quærunt. Et, quanuis data non erat ad perseuerandum constantia, excusabilem tamen non fuisse, qui tantùm acceperat, vt sibi sponte accerseret interitum.

CAP. XVI.

Deum sua virtute mundum à se conditum fouere ac tueri, & singulas eius partes sua prouidentia regere.

VTCVNQVE prophani homines Deum Creatorem agnoscere videantur, id tamen ab illis verè fieri non posse, quandoquidem nemo ritè Creatorem agnoscit, nisi qui per fidem vsque ad prouidentiam eius transit,

quam illi aut penitus ignorant; aut generalem tantùm actionem esse imaginantur, qua in genere, arcana Dei inspiratione omnes mundi partes vegetantur.

2 Eam autem de qua nos loquimur prouidentiam, fortunæ, & casibus fortuitis opponi: qua statuimus, quoslibet euentus occulto Dei consilio gubernari. ac primùm quidem de Prouidentia eius in rebus inanimatis. (à Section. 2. ad 5.) sic habendum esse, quantis naturaliter singulis indita sit sua proprietas, vim tamen suam non exerere, nisi quatenus præsenti Dei manu diriguntur, exemplo solis ostenditur, & temporum anni vicissitudine.

3 Tum etiam, quòd omnipotentiam sibi Deus vendicat: quam imaginari debemus, non qualem sophistæ fingunt, inanem, otiosam, & fere sopitam; sed vigilem, efficacem, & operosam, & quæ in continuo actu versetur: neque etiam quæ generale tantùm sit principium confusi motus, ac si fluuium per alueos semel præfixos fluere iuberet; sed quæ ad singulos, & particulares motus intenta sit. adeoque eos omnes, qui omnipotentiam Dei in naturæ influxu includere volunt, & Deum sua gloria fraudare, & seipsos vtilissima doctrina, quæ duplicem fructum ferat, priuare.

4 Id quò meliùs euincat, præterito Epicureorum aliorumque similium insano errore, cum istis contendit, qui generalem tantùm Dei prouidentiã concedunt, aut saltem ad actus quosdam particulares restringunt: ostendens Deum non otiosum è cœlo speculari quæ in mundo fiunt, sed veluti clauum tenentem res omnes moderari: sicque ad singulos euentus regendos attendere, vt nihil fortuitò, sed definito eius consilio omnia contingant.

5 Aliâs nec Paterno Dei &c. pag. 5.

6 Nunc

6 Nunc habita de ſingulari prouidentia Dei, quæ in rebus inanimatis verſatur, oratione, ad eam tranſit, quæ in humani generis gubernatione ſe exerit: contendens & ſingulares omnium hominum actiones, & conditionis cuiuſque varietatem, ex ſpeciali Dei diſpenſatione eſſe.

7 Quinetiam & ipſos particulares motus in genere, teſtimonia eſſe ſingularis Dei prouidentiæ: quippe qui nunquam ſine ſpeciali Dei iuſſu oriantur: quemadmodum, quum Ionam in mare proijci voluit, ventum turbini excitando emiſit.

8 Neque tamen hanc doctrinam eandem eſſe cum dogmate Stoicorum de fato. ſe enim minimè cum Stoicis neceſſitatem cõminiſci ex perpetuo cauſarum nexu, & implicita quadam ſerie quæ in natura cõtineatur: ſed Deum conſtituere moderatorem omnium, qui nunc potentia ſua exequitur, quod olim prudentia ſua decreuit: adeóque ſecundum Deum, nihil fortuitò, vel contingenter accidere: eſſeque voces Ethnicas, Caſum, & Fortunam, ex Baſilio magno, & Auguſtino.

9 Hoc tamen non obſtare, quò minus ſecũdum homines, & dicatur, & ſit in pleriſq; rebus caſus & contingentia: quoniam eorum quæ eueniunt, ordo, ratio, finis, neceſſitas vt plurimum in Dei conſilio latet, & ſub humanam notitiam non cadit. eandem eſſe rationem futurorum contingentiæ, clariſſimis quibuſdam exemplis oſtenditur.

CAP. XVII.

Quorſum, & in quem ſcopum referenda ſit hæc doctrina, vt nobis conſtet eius vtilitas.

Huius capitis duæ ſunt partes. quarum priore doctrinam tradit 1-11. poſteriore duas obiectiones tollit 12-14.

Quod ad doctrinam attinet, etſi initio primæ ſectionis tria

ponat, non tamẽ ideo facit, vt singulis proprium locum in tractatione assignet (quod ideo moneo, ne id quispiam expectet, atque ita sibi negotium faceſſat) ſed tantùm vt ex omnibus ſimul ſumptis, tanquam ex vno fonte diduc at, quicquid in priore parte capitis poſtea diſſerit.

PRIMVM, quanuis cauſæ eorum quæ accidunt, nos latent, non tamen conſentaneum eſſe, vt ſuſpicemur res humanas cæco fortunæ impetu volui; vel ad obloquendum Deo incitemur, acſi homines, ac humana omnia, huc illuc temere iactaret: ſed, vt occulta eius iudicia reuereamur, & in voluntate eius tanquam rerum omnium iuſtiſſima regula, acquieſcamus.

2 Nec obſtare quod quidam obijciunt, iniquum eſſe vt in gubernatione mundi, aliam Deo voluntatem ſecundum occulta eius iudicia affingamus, quàm quæ in Lege & Euangelio nobis patefacta ſit. diſtinguendum ſiquidem eſſe inter ſapientiam quæ penes Deum reſidet, & ſapiendi modum quem hominibus præſcribit.

3 Hanc tamen doctrinam, nec eorum impietati, qui ſcelerum culpam in Deum regerũt; nec eorum proteruiæ qui media reijciunt, patrocinari.

4 Quóque meliùs hoc ipſum appareat, quum ea omnia quæ ſolent obijcere contra hoc caput doctrinæ, vel ad tempus futurum, vel ad præteritum referri poſſint, primùm quoad futura, oſtendit hominum deliberationes cum Dei prouidentia minimè pugnare.

5 Deinde quoad præterita, inſulſam eſſe eorum argumentationem, qui ſcelera authoribus ſuis impunita eſſe volunt, quia nonniſi Dei diſpenſatione patrantur.

6 Eiuſmodi igitur de prouidentia Dei doctrinam eſſe, vt eius meditatio iſtiuſmodi calumnias facilè diſcutiat, efficiatq́;, vt hac quis munitus nihil fortunæ tribuat; ſed multò magis, ſiue cum hominibus negotiũ illi ſit, ſiue cum reliquis creaturis, vtrobiq; ſingularẽ Dei prouidentiam ad ſe conſeruandum excubare non dubitet.

7 Deinde (ſatis iam de beneuolentia Dei in ipſum perſuaſus) & ea teſtimonia adiungat, quæ docent ſub eius

eius potestate esse omnes homines: siue eorum conciliandi sint animi, siue cohibenda malitia ne quid noceat, (cuius generis exempla aliquot recitantur.) atq; ita de potentia quoque eius similiter persuasus, primùm, quicquid prosperè eueniat, id totum acceptum Deo referat:

8 Tum etiam, si aduersi quid contigerit, extemplo hîc quoq; mentem extollat in Deum. vt hoc modo potissimum & ad patientiam, & ad animi moderationem se assuefaciat, exemplis Iosephi, Iobi, & Dauidis.

9 Neque tamen interim ad causas inferiores conniueat, sed illas quoque eo quo decet loco habeat: ac primùm de præteritis, tum de futuris.

10 Hac ergo in parte se prodere inæstimabilem pię mentis fœlicitatem. nam quamuis innumera vitam humanam obsideant mala, quæ totidem ostentant mortes (*quorum bona pars ibi commemoratur*) alioqui meritò timenda ac reformidanda, tanquam nobis euentura:

11 Vbi tamen lux illa diuinæ prouidentiæ semel homini pio affulsit, iam nõ extrema formidine tantùm, sed & omni cura releuatur ac soluitur. quippe qui de paterna Dei in ipsum cura, & omnipotenti eiusdem virtute, ita persuasus sit, vt trepidare, aut dubitare nesciat. adeoque extremum esse omnium miseriarum prouidentiæ ignorationem: summam beatitudinem in eiusdem cognitione sitam esse.

12 Hic ad secundam partem capitis venit, hoc est, ad exponendos quosdam locos qui innuere videntur, Deum, non æterno decreto res hominum constituisse, sed prout sunt cuiusq; merita, vel prout æquum iustumque censet, singulos in annos, dies, & horas hoc vel illud decernere. huiusmodi locorum duas esse classes: primam eorum, qui Deo pœnitentiam adscribunt: alteram, eorum qui decretorum eius veluti abrogationes quasdam referunt, vtpote de excidio Niniuitarum, & Ezechiæ morte. quod ad priores attinet, negat in Deum

pœnitentiam cadere.

13 Atque huiusmodi sententias nihil aliud esse, quàm locutiones quasdam à sensu nostro sumptas, & ad captum nostrum submissas, quò meliùs intelligamus, ad quod infirmitas nostra alioqui pertingere non valet.

14 Quod ad alteros, de Niniuitis, & Ezechia spectat, eiusmodi enunciationes tacitam continere conditionẽ, licet syllabatim non exprimant, probatur ex earũdem fine, & simili Dei locutione cum Abimelecho rege.

CAP. XVIII.

Deum ita impiorum opera vti, & animos flectere ad exequenda sua iudicia, vt purus ipse ab omni labe maneat.

EXCVSABILEM non esse eorum modestiam, qui audire non sustinent Deum Satanæ, & impiorum malitiam in quemcunq; visum est finem dirigere, & sceleribus vti, ad exequenda sua iudicia: perperam nimirum tergiuersantes, Dei tantùm permissu, non etiam voluntate hæc fieri. quod quàm sit mendax patrocinium, quibusdam exemplis abundè probat.

2 Hanc quoque Dei manum non tantùm in externis operibus versari, sed in motibus etiam internis: nec permissione tantum eum indurare corda hominum, sed iusto suo iudicio infligere illis cæcitatem & amentiam: quamuis & ipsi homines in vna eademque re suum opus habeant. nec obstare, quòd Satan quoque interponat suam operam. Deumque ipsum non tantùm tradere in reprobum sensum, sed etiam sic decipere quosdam, vt ab ipso maneat efficacia erroris.

3 Quicunque igitur hanc doctrinam non recipiunt, aut inscitiam suam prodere; aut, si apertè maledicant, quasi cœlum ipsum (at frustra) sputis impetere, hoc est, in Spiritum sanctũ blasphemias suas torquere. Hoc quò liquidius appareat, duo illa obiecta refutat quæ solent afferre:

fferre. quorum prius est, quòd ex eo sequeretur, in Deo esse duas contrarias voluntates, si nihil eueniat nisi volente Deo: quia occulto suo iudicio decernat, quod lege sua palam vetuit.

4 Alterum, si non modò impiorum opera vtatur Deus sed etiam consilia & affectus gubernet, esse quidē omnium scelerum authorem: ac proinde immeritò dānari homines, si exequuntur quod decernit Deus; quia voluntati eius obtemperant.

Liber secundus.

De cognitione Dei redemptoris in Christo: quæ Patribus sub Lege primùm, deinde nobis in Euangelio patefacta est.

ARGVMENTVM.

DE cognitione Dei Redemptoris dicturus, primùm de redemptionis occasione, hoc est, de lapsu hominis disserit; ac deinde ad redemptionem ipsam pertractandam venit: priori quinque capita designat, reliqua posteriori.

Quod ad prius attinet, non tantùm in genere de lapsu agit, sed etiam de alijs quibusdam quæ ad eum spectant: cuiusmodi sunt originale peccatum, arbitrij seruitus, & quomodo operetur Deus in cordibus hominum. Cap. 1. 5.

Quod ad posterius spectat, primùm ostendit quis sit, in quo salus homini perdito quærenda est; nempe solus Christus, 6.

pœnitentiam cadere.

13 Atque huiusmodi sententias nihil aliud esse, quàm locutiones quasdam à sensu nostro sumptas, & ad captum nostrum submissas, quò meliùs intelligamus, ad quod infirmitas nostra alioqui pertingere non valet.

14 Quod ad alteros, de Niniuitis, & Ezechia spectat, eiusmodi enunciationes tacitam continere conditionẽ, licet syllabatim non exprimant, probatur ex earũdem fine, & simili Dei locutione cum Abimelecho rege.

CAP. XVIII.

Deum ita impiorum opera vti, & animos flectere ad exequenda sua iudicia, vt purus ipse ab omni labe maneat.

EXCVSABILEM non esse eorum modestiam, qui audire non sustinent Deum Satanæ, & impiorum malitiam in quemcunq; visum est finem dirigere, & sceleribus vti, ad exequenda sua iudicia: perperam nimirum tergiuersantes, Dei tantùm permissu, non etiam voluntate hæc fieri. quod quàm sit mendax patrocinium, quibusdam exemplis abundè probat.

2 Hanc quoque Dei manum non tantùm in externis operibus versari, sed in motibus etiam internis: nec permissione tantum eum indurare corda hominum, sed iusto suo iudicio infligere illis cæcitatem & amentiam: quamuis & ipsi homines in vna eademque re suum opus habeant. nec obstare, quòd Satan quoque interponat suam operam. Deumque ipsum non tantùm tradere in reprobum sensum, sed etiam sic decipere quosdam, vt ab ipso maneat efficacia erroris.

3 Quicunque igitur hanc doctrinam non recipiunt, aut inscitiam suam prodere; aut, si apertè maledicant, quasi cœlum ipsum (at frustra) sputis impetere, hoc est, in Spiritum sanctũ blasphemias suas torquere. Hoc quò liquidius appareat, duo illa obiecta refutat quæ solent afferre:

afferre. quorum prius est, quòd ex eo sequeretur, in Deo esse duas contrarias voluntates, si nihil eueniat nisi volente Deo: quia occulto suo iudicio decernat, quod lege sua palam vetuit.

4 Alterum, si non modò impiorum opera vtatur Deus, sed etiam consilia & affectus gubernet, esse quidē omnium scelerum authorem: ac proinde immeritò dānari homines, si exequuntur quod decernit Deus; quia voluntati eius obtemperant.

Liber secundus.

De cognitione Dei redemptoris in Christo: quæ Patribus sub Lege primùm, deinde nobis in Euangelio patefacta est.

ARGVMENTVM.

DE cognitione Dei Redemptoris dicturus, primùm de redemptionis occasione, hoc est, de lapsu hominis disserit; ac deinde ad redemptionem ipsam pertractandam venit: priori quinque capita designat, reliqua posteriori.

Quod ad prius attinet, non tantùm in genere de lapsu agit, sed etiam de aliis quibusdam quæ ad eum spectant: cuiusmodi sint originale peccatum, arbitrij seruitus, & quomodo operetur Deus in cordibus hominum. Cap. 1-5.

Quod ad posterius spectat, primùm ostendit quis sit, in quo salus homini perdito quærenda est, nempe solus Christus, 6.

deinde quomodo hic ille Christus mundo patefactus sit, 7-11. nimirum duplici ratione: primùm sub Lege (qua occasione & Decalogum explicat, & alia quædam de Lege discutit) 7-8. Deinde sub Euangelio (vbi etiam de similitudine & differentia vtriusq; Testamenti disputat) 9-11. Tertiò qualis fuerit debuitq; esse, Deus scilicet, & Homo, 12-14. Quartò, quorsum missus à Patre in mundum fuerit, 15. Postremò quo modo, vel quibus gradibus Redemptoris partes, vel munus sibi iniunctum impleuerit, (qua occasione bonam partem Symboli explicat) 16. 17.

CAP. I.

Adæ lapsu & defectione totum humanum genus maledictioni fuisse addictum, & à prima origine degenerasse: vbi de peccato originali.

REM esse maximè necessariam nostri notitiam, quò fit, vt diligentissimè cauendum sit, ne ipsa præposterè vtamur: nempe, ne bona tantùm nostra intuendo, superbiendi materiam nobis (quod philosophis accidere solet) suppeditemus. debere quidem nos in bona nostra intueri, vt inde eliceamus pietatis studium: ita tamen, vt non obliuiscamur inopiæ & fœditatis nostræ; vnde & nostri odium, & vera humilitas oriatur, & accendatur nouum quærendi Dei studium: quo scilicet quisque ea bona recuperet, quorum prorsus inanes & vacui deprehendimur.

2 Plausibiliorem quidem sententiam esse, quæ nos ad propriæ facultatis confidentiam, & nostri admirationem erigat: quod naturę nostræ magis arrideat: alteram verò saniorem.

3 Etsi igitur nemo sit qui non concedat, secundam sapiętiæ partem in notitia nostri sitam esse, in ipsa tamę cogno-

cognoſcendi ratione magnum eſſe diſſidium, dum alij iudicio carnis cõfiſi, ad virtutis officia, indicto vitijs bello, ſeſe incitent: alij omni fiducia abdicati, nihil ſibi ad vitam rectè inſtituendam reliquum putent. Duas itaque partes eſſe cognitionis noſtri: nempe in quem finem cõditi ſimus; &, quàm nihil ad eum aſſequendum valeamus.

Quòd autem de vtraque dicturum ſe profitetur, prout ſeries docendi poſcet, non ſic accipiendum eſt, quaſi nouam tractationem inſtituat, quæ duabus hiſce partibus conſtet: ſed quòd perinde ac paulò antè de priore diſſeruit lib. 1. cap. 15. ita nunc etiam de altera dicturus ſit.

4 Quod igitur ad ſecundam attinet, duo ſibi diſcutienda proponit: primò, Quî factũ ſit, vt tanta calamitate ſe Adam inuolueret, quod oſtendit non ex intẽperie gulæ accidiſſe, ſed ex infidelitate: quòd per eã à Deo defecerit, in quo vno vltima fœlicitatis ſuæ meta poſita eſt.

5 Deinde, quàm latè ſerpat hæc contagio: *quod quidem membrum ad finem vſque capitis huius oſtenditur*. Ac primùm contendit ipſas inſontes creaturas (quod in Adæ vſum conditæ erant) ob eius culpam maledictioni obnoxias eſſe: deinde verò, & id quidem maximè, ad totam Adæ ſobolem propagatam fuiſſe hanc maledictionem. atque hanc eſſe hereditariam corruptionem, quam peccatum originale veteres nũcupauerunt, peccati voce intelligentes, naturæ antea bonæ puræque deprauationem. vbi etiam Pelagius, & Cæleſtiani refutantur.

6 Non per imitationem tantùm, vt Pelagius ſomniauit, ſed etiam per propagationem ab Adamo tranſijſſe contagionem, in totam ſobolem, triplici argumento probatur: primùm comparatione Adæ cum Chriſto: deinde quòd ſimus naturâ filij iræ: poſtremò, quòd caro ſit, quicquid ex carne genitum eſt.

7 Quod quidam obijciunt ex eo ſequi, ipſas animas ex traduce eſſe, quod in ijs lues potiſſimùm reſideat, nihil ad hanc quæſtionem pertinere, quandoquidem non in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio:

sed quia à Deo ita ordinatum est, vt quæ primo homini dona contulerat,ille tam sibi,quàm suis,haberet,simul & perderet. quodq; Pelagiani,cauillantur, verisimile non esse à parentibus pijs corruptionem ducere liberos,nullas habere vires,quum non ex eorum spirituali, sed carnali generatione descendant.

8 Definiri igitur peccatum originale sic optimè posse, vt dicatur hæreditaria naturæ prauitas & corruptio,in omnes animæ partes diffusa; quæ primùm facit reos iræ diuinæ, tum etiam opera carnis in nobis profert: quæ ambæ partes fusiùs sigillatim explicantur.

9 Quomodo etiam in omnes animæ partes prauitas ista diffusa est,nunc breuiter explicat (pleniorem de ea re tractationem in proximum caput reijciens) ne cũ Lombardo sedem eius in [a] carne tantùm nimis crassè statuamus.

[a] *Hoc verò nomine & D. Hyperius cauendus est, Meth. Theo. lib. 2. de effectis lapsus, & peccato originali, articulo 3. pag. 447.*

10 Postremò contendit, his ita constitutis clariùs & illud eluescere,quod lib.1.cap.18.sect.4.dixerat, Deum nempe non esse authorem peccati; quandoquidem naturali & propria vitiositate corruptum sit vniuersum genus humanum.

11 Hanc tamen prauitatem sic naturalem esse, vt à natura non fluxerit;sed aduentitia qualitas magis, quæ homini acciderit, quàm substantialis proprietas quæ ab initio indita fuerit,censeatur. atque hoc pacto conuellit Manichæorum commentum, de substantiali in humana natura malitia.

CAP. II.

Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum, & miseræ seruituti addictum.

Postquam superiore capite ostenderit, hominem in miseram seruitutem redigi,nunc quærendum & discutiendum censet, an omni libertati spoliati simus: &, si qua particula adhuc viget, quousque vis eius procedat Huic verò quæstioni designat quatuor capita proximè sequentia.

Quod ad hoc caput attinet, in tres partes distribui poterit. primò enim

veluti

veluti fundamentum huius tractationis iacit sect. 1. deinde aliorum opiniones refert 2-9. postremò quid sit de hac controuersia statuendum ostendit 10-27.

PRINCIPIO monet duos scopulos cauendos esse: primò, ne quicquam nobis tribuamus. ne & Deo præripiatur suus honor, & ipsi temeraria confidentia labefactemur: Deinde etiam ex altera parte & illud, ne, vbi omni rectitudine nos abdicamus (& verè id quidem) ex eo statim arripiamus desidiæ occasionem, quasi nihil ad nos pertineat quicquid de iustitiæ studio dictum est.

2 Quod ad aliorum opiniones attinet, primò philosophos, deinde scriptores Ecclesiasticos examinandos inducit. philosophos quidem voluntatem inter rationem & sensum mediam locare, sui scilicet iuris & libertatis compotem; siue rationi obtemperare, siue sensui rapiendam se prostituere libeat: &, vtcunque corrumpitur & deprauatur, vbi in seruitutem sensus se abdicat; tamen si rationi parêre sustineat, ad studium virtutum ferri, & rectam viam tenere.

3 Ipsa tamen experientia conuictos fateri, se non absque summa difficultate rationi regnum stabilire posse, & interdum huc illuc in varias partes à sensu distrahi: sic tamen, vt sua opinione semper liberam electionẽ habeant, nec impediri suam voluntatem posse credant, quin rationem ducem per omnia, si velit, sequatur.

4 Quod ad scriptores Ecclesiasticos attinet, tametsi nemo inter eos extitit, qui non agnosceret, & sanitatem rationis in homine grauiter ex peccato vulneratam (in quo à philosophis discrepant) & voluntatem prauis cupiditatibus valdè implicitam esse, multos tamen eorum longè plus æquo philosophis accessisse (cuius rei duæ causæ assignari possent) & quidem veteres omnes (vno excepto Augustino) ita in hac re aut variasse, aut vacillasse, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat: recentiores sensim, alios post alios, in deterius continuò lapsos fuisse; inpri-

mis verò Græcos. Ac primò, quod ad vocis significationem attinet, quid per liberum arbitrium quidam tam è Patribus, quàm è recentioribus senserint, ostendit. quorum summa est, vt nomẽ arbitrij, magis ad rationẽ, cuius est discernere inter bonũ & malum: epithetũ vero liberi, ad volũtatẽ, quę ad vtrũq; flecti possit, propriè referatur.

5 Deinde, cuiusmodi res sub libero hominis arbitrio ponant: & (quod huic valde affine est) quotuplex sit secundùm eos, arbitrij libertas.

6 Tertiò, sitne homo, secundum eos, in totum priuatus bene agẽdi facultate, an habeat adhuc, nonnullã, sed pusillam & infirmam? dum hoc à sanioribus Scholasticis quęrit, eos nonnihil claudicantes reperit: Lõbardũ verò planè fatentem, non liberi arbitrij ideò nos esse, quod ad bonum & malũ, vel agendũ vel cogitandũ peræq; polleamus: sed dũtaxat, quòd coactione soluti sum⁹.

7 Hinc cõcludit, rem tantulam adeò superbo titulo insigniri non debuisse, præsertim, cum in errorem suapte impellat: nec firmum esse quod dicunt, sublatum esse eiusmodi periculum, si de vera significatione plebs diligenter admoneatur.

8 Id enim Patres feciſſe, inprimis Augustinum: hac tamen veterum interpretatione prætermissa, totam ferè posteritatem in verbi etymo hæsisse, adeoque in exitialem confidentiam euectam esse.

* *Nota, quid sit de patribus, quod ad hanc causam attinet, (sic tamen, vt vnum Augustinum excipias vt suprà sect. 4. 8.) statuendum.*

9 *Patres ita ambiguè & variè de hac re locutos esse, vt certum quippiam in eorum scriptis haberi nequeat: id tamen verè affirmari posse, eos in hac loquendi ambiguitate, humana virtute nihil, aut quàm minimò æstimata, totam Spiritui sancto bonorum omnium laudẽ detulisse.

10 De aliorum sentẽtijs hactenus locutus, nunc verò ad simplicem veritatis explicationem in considerandа hominis natura propiùs accedens, id primùm veluti fundamenti loco positum vult esse, vt quisque maximè

ſuæ calamitatis, inopiæ, nuditatis, aut ignominiæ conſcientia deiectus eſt & conſternatus, ita optimè in ſui cognitione profeciſſe. id verò confirmat, primùm ex Scriptura.

11 Deinde ex Patribus: dum humilitatem ponunt fundamentum philoſophiæ noſtræ. eamque non eſſe, vbi homo aliquantæ virtutis ſibi conſcius à ſuperbia faſtuque abſtinet: ſed vbi talem ſe verè ſentit, qui nullum habeat niſi in humilitate refugium.

12 Atque ita rem ipſam aggreſſus, nempe vt oſtendat, quãtum in homine poſt lapſum tribuendum ſit cùm intellectui, tum etiam voluntati, primùm de vtroque generatim affirmat, (idq; ſecundùm Auguſtinum & Scholaſticos) naturalia dona corrupta eſſe, ſupernaturalia verò penitus amiſſa: Deinde vtrunque ſeparatim explicandum ſibi aſſumit; Intellectus primùm (12-25.) tum etiam Voluntatis (26-27.) vires examinans. porrò quæ de Intellectu dicenda habet, ita profert, vt priore loco generalia quædam ponat: nempe, non ita perpetuæ cęcitatis eum eſſe damnatum, vt nihil intelligentiæ vllo in rerum genere illi relinquatur: quicquid tamen habet, duplici vanitate laborare.

13 Deinde, vt, diſtinctione facta de intelligentia rerum terrenarum & cœleſtium, oſtendat quantum valeat primùm in rebus terrenis (13-17.) deinde in rebus cęleſtibus (18-25.) Ac primùm quod ad res illas medias ſiue terrenas pertinet, manere adhuc nonnullas intelligentiæ vires, ex eo primùm apparere, quòd politiam & œconomiam ita omnes amplectantur, vt non ſolùm intelligant, oportere quoſuis hominum cœtus legibus contineri; verùm etiam & harum rerum principia mente cõprehendant.

14 Deinde quod in artibus, tum liberalibus, tum etiam manuarijs tantum valeamus. quãuis & illud prætiri nõ debeat, hanc de qua loquimur rationis lucem, ſic

esse bonum vniuersale, vt nihilominus in eo pro se quisque peculiarem Dei gratiam agnoscere debeat.

15 Hanc igitur mediam viam tenendam esse, vt huiusmodi rebus admoneamur, mentem hominis, quantūlibet ab integritate sua collapsam, eximijs tamen etiamnum Dei donis ornatam esse.

16 Neque tamen interim obliuiscamur, hæc omnia Spiritus dona esse quę in publicum generis humani bonum, quibus vult, dispensat: interdū etiam & impijs; qui tamen nullam inde laudem consequuntur, quòd homini polluto, & veritatis fundamento destituto, pura esse desierunt: ob eamque causam fluxa & euanida coram Deo efficiantur.

17 Vtrunque complectitur: nonnihil scilicet naturæ nostræ reliquum esse; &, quicquid sit, id totum indulgentiæ diuinæ adscribi debere.

18 Deinde quod ad res cœlestes aut Dei regnum attinet, primùm quid sibi velit per Dei regnum ostendit: idque in tria capita distribuit, Dei notitiam; beneuolentiæ eius certitudinem; & vitæ rectè formandæ rationem. In primis duobus quàm nihil veri ac solidi possit, primùm ipse dicit:

19 Deinde Scripturarum authoritate confirmat 19-21. hoc nempe ordine: Hominis quidem animam fulgore diuinæ lucis sic irradiari, vt nunquam planè vel exigua eius flamma, vel saltem scintilla destituatur: sed ea tamen illuminatione Deum non comprehendere.

20 Deinde quòd multa Scripturæ loca, hæc ipsa de quibus nos loquimur, & naturæ nostræ negare:

21 Et Deo soli tribuere, soleant.

pag. 5. 22. 23. 24. 25.

26 Nunc voluntatem examinaturus (in qua præcipuè arbitrij libertas vertitur) principiò ostendit naturale illud desiderium boni quo omnia imbuuntur, nihil omnino facere ad probandam arbitrij libertatem. illud enim

enim magis ab essentiæ inclinatione, quàm mentis deliberatione proficiſci: hoc verò de quo nos loquimur requirere, vt bonum quis recta ratione dijudicet, cognitum eligat, electum proſequatur. Quoque clariùs hoc ipſum euadat, aduertendum esse in altero duplicem paralogiſmum: in Appetitu ſcilicet, & Bono.

27 Deinde, & illud minimè ſanum esse, quòd Scholaſtici primæ Dei gratiæ tribuentes vt efficaciter velimus, hoc ipſo innuunt, ineſſe quidem animæ vltrò ad bonum aſpirandi facultatem; ſed imbecilliorem, quàm quæ in ſolidum affectum emergat, aut conatum excitare poſſit. Quin potiùs concedendum, quum totus homo peccati imperio ſubiaceat, ipſam certè voluntatem, quæ præcipua eſt eius ſedes, arctiſſimis vinculis conſtringi neceſſe esse: nihilque noſtrum esse niſi peccatum.

CAP. III.

Ex corrupta hominis natura nihil niſi damnabile prodire.

Hoc totum caput videtur ad vtrunque pertinere: ſic tamen vt præ-cipuè ad voluntatem, quàm ad intellectum pertineat.

TOTVM hominem vtraque ſua parte corruptum eſſe, ex elogijs quibus eum Scriptura inſignit, facilè apparere: primò, quòd dicitur Caro. hanc quoque vocem non tantùm ad ſenſualem, ſed etiam ad ſuperiorem animæ partem, hoc eſt, mentem pertinere.

2 Cor etiam ipſum eadem corruptione inuolui: adeoque in nullo prorſus iam inueniri poſſe, aut integritatem, aut intelligentiam, aut timorem Dei.

3 Quod obijci poteſt, omnibus ſeculis extitiſſe aliquos, qui naturâ duce ad virtutem tota vita intenti ſunt, quique non modò eximijs facinoribus excelluerunt, ſed perpetuo vitæ tenore honeſtiſſimè ſe geſſerunt: reſpondet, hoc ex gratia Dei esse:

quæ licet corruptionem illam non purget, vt in electis, fræno tamen iniecto intus cohibet, quantum expedire prouidet ad conseruandam rerum vniuersitatem.

4 Si quis vrgeat, manere tamen istud, aut Camillum nihilo meliorem esse Catilina; aut in Camillo exemplum haberi, naturam, si studio excolatur, bonitate non prorsus vacare: responderi posse, primùm hæc non esse idonea puritatis argumenta, cum animus prauus & corruptus maneat, qui aliud potiùs quiduis, quàm rectitudinem sectatus sit: deinde, non esse istas communes naturæ dotes, sed speciales Dei gratias, quas variè ad certum modum prophanis alioqui hominibus dispensat. quæ vt in foro politico suam habent laudem, ita apud cœleste tribunal nullius erunt pretij, ad iustitiam promerendam.

5 Voluntatem à lapsu, peccati seruitute ita vinctam detineri, vt ad bonum ne commouere se quidem possit, nedum applicare: ad malum verò propensissima affectione & propendeat, & festinet. Manere homini voluntatem, voluntatis verò sanitatem non item: quòd in hanc necessitatem se vltrò addixerit. Neque verò cuiquam absurdum videri debere, quòd libertate abdicatam voluntatem dicamus necessitate in malum duci, nisi qui sint, qui cum Lombardo, inter necessitatem & Coactionem distinguere nesciant: huius namque necessitatis nonnullos ex patribus assertores fuisse.

6 Quò magis hæc doctrina eluceſcat, hanc alteram partem huius capitis huic vni rei assignat, vt ostendat quale sit illud, vel in quibus consistat diuinæ gratiæ remedium, quo nostræ naturæ vitiositas corrigitur & sanatur. hinc enim meliùs liquere, quæ sit penuria nostra, si è conuerso videamus quid sit, quod in ope ferenda nobis Deus contulit. Dubium verò in primis non esse, quin Deus in nobis omne opus bonum ita & inchoet, & perficiat, vt ne tantillum quidem

quidem homini tribuendum sit.

7 Quosdam esse, qui sic voluntatem à bono, suopte ingenio auersam esse concedant, sola Domini virtute conuersam, vt non omnia tamen vni Deo, sed ipsi homini, postquam habet voluntatem præparatam, suas deinde in agendo partes tribuãt: vbi etiam de præcedente, & subsequente gratia.

8 Contra istos, quoniam iam in præcipuo cardine versatur, Scripturas primùm, deinde & Augustinum se prolaturum spondet. Ac principiò duabus rationibus Scriptura confirmatis:

9 Deinde & alijs quibusdam Scripturæ testimonijs ostendit, Dominum non ita præparare hominem, vt postea ex seipso aliquid boni agat; sed vt illius tantùm censeatur, quòd recti amorem concipit voluntas, quòd in eius studium inclinetur, quòd ad eius sectandi conatum incitatur & mouetur: deinde, quod electio, studium, conatus non satisscunt, sed ad effectum vsque procedunt: postremò, quòd homo in illis constanter pergit, & ad finem vsque perseuerat.

10 Eum quoque voluntatem mouere, non qualiter multis seculis traditum & creditum est, vt nostræ pòst sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo; non tantùm, vt possimus ambulare, in suis præceptis, sed, vt reipsa ambulemus.

11 Perseuerantiam quoque & progressum non à nobis, sed à Deo esse: ideoque repudiandum esse eorum duplicem errorem, qui ea pro hominum merito dispensari putarunt, provt se quisque non ingratum primæ gratiæ præbuerit: gratiam quoque non iam in nobis solam operari, sed esse tantùm nobis cooperatricem. de vtroque sigillatim agitur.

12 Diluitur obiectum, quod pro secundo illo er-

rore de cooperante gratia, ex Paulo detorquent.

13 Eandem quoque fuisse Augustini sententiam, ex multis locis ostenditur: nempe, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuiusque electione aut recipiatur, aut respuatur; sed ipsam esse, quæ in corde & electionem, & voluntatem formet.

14 Nec obstare quod alibi dicit, non tolli gratia voluntatem: sed, ex mala mutari in bonam; &, quum bona fuerit, adiuuari. hoc quomodo sit intelligendum ex Augustino docet.

CAP. IIII.

Quomodo operetur Deus in cordibus hominum.

Hoc capite ostendit quantum sit cuique tribuendum in vnoquoq; opere, primùm verò, quantùm in malis actionibus, & Diabolo, & homini, & ipsi Deo 1-5: deinde in rebus medijs, quantum Deo tribuendum, & quantum homini relinquendum sit. 6-8.

IN vnoquoque opere suum cuique tribuendum esse, & Satanæ, & homini: Diabolum quippe sic operari in filijs contumaciæ, vt eorum voluntas præstigijs Satanæ fascinata non reluctetur: ideoque extra hominem, non esse causam peccati quærendam.

2 Longè verò aliam esse rationem diuinæ in talibus actionis: vt in calamitate Iobi videre est. eam enim clarissimè ostendere, quomodo Deus in huiusmodi facinoribus opus suum habere possit: nec tamen vel Satan excusetur Dei consortio, vel Deus author mali prædicetur: idque duplici ratione; ex fine primùm, deinde etiam ex modo agendi. Hìc quoque non de vniuersali Dei motione, sed tantùm de speciali se agere.

3 Hæc verò non ad operationem Dei, sed tantùm ad

ad præſcientiam, aut permiſſionem eius veteres interdum retuliſſe: & quorſum id fecerint. quum tamen Scriptura plus aliquid Dei, quàm præſcientiam, aut permiſſionem in huiuſmodi rebus interuenire clarè oſtendat: eum ſcilicet reprobos indurare, excæcare, aut impellere: idque duplici ratione, primùm eos deſerendo, ſiue Spiritum ſuum ab illis auferendo; deinde etiam per Satanam iræ ſuæ miniſtrum, eos provt viſum eſt, dirigendo.

4 Vtrunque pluribus Scripturæ teſtimonijs oſtendit, & Diſtinctione ex Auguſtino illuſtrat.

5 Sic tamen, vt ad reprobos inſtigandos, ſemper miniſterium Satanę intercedat, & Deus ab omni nequitia immunis maneat.

6 Quoad res externas vel medias, quæ nec iuſtæ per ſe nec vitioſæ ſunt, Deum ita operari in cordibus hominum, vt quoties viam vult facere ſuæ prouidentiæ, voluntates noſtras pro libitu ſuo flectat, & verſet. nec ita liberam eſſe in hiſce rebus arbitrij noſtri electionem, quin eius libertati Dei arbitrium dominetur, multis exemplis oſtenditur.

7 Nec obſtaculo eſſe quod quidam obijciunt, ad ſingularium quorundam exemplorum regulam, exigi nequaquam vniuerſa debere.

8 Hîc etiam cauendum ne ab euentu, vel extraneo ſucceſſu (quod imperiti quidam præpoſterè faciunt) ſed intra hominem, à iudicij electione, & voluntatis affectione humani arbitrij facultatem æſtimemus.

CAP. V.

Obiectionum refutatio quæ pro defenſione liberi arbitrij afferri ſolent.

Duo eſſe quæ afferunt obiectionum genera: quorum prius abſurditates quaſdam, alterum nonnullos Scripturæ locos qui in ſpecie repugnare videantur, complectitur. De priore, 1-5. de altero verò 6-19.

QVOD ad absurditates spectat, primã esse: Si peccatum necessitatis est, iam desinit esse peccatum: si voluntarium est, ergo vitari potest. vtrunque negat.

2 Secundam, Nisi ex libera arbitrij electione tum virtutes, tum etiam vitia procedant, non esse consentaneum, vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur. Huic argumento sic respõdet, vt, quod ad præmia attinet, contendat non esse absurdum: quòd verò ad pœnam, quàm nihil valeat argumentum ostendat.

3 Tertiam, Si hæc non sit voluntatis nostræ facultas, bonum aut malum eligere, aut omnes eiusdem naturæ participes malos esse oportet, aut omnes bonos. negat argumentum.

4 Vltimam, frustra exhortationes suscipi, superuacuum esse admonitionum vsum, ridiculas esse obiurgationes, nisi sit penes peccatorem parêre. Negat argumentum: & quare negandum sit ostendit, primùm ab exemplo Augustini, Christi, & Pauli:

5 Deinde, quòd etsi non sit penes peccatorem parêre, necessariæ tamen sint obiurgationes & exhortationes, tam reprobis, quàm electis; &, in vtrisque finem suum consequantur.

Quæ ex Scriptura proferunt testimonia, etsi multa sint, eorum tamen maximam partem in paucas classes distribui posse. quibus vt primùm respondit, 6-15. tum etiam ad alia quædam particularia descendit, 16-19

6.7 Quod ad classes attinet; primam eorũ esse, quæ ad legem spectant, & à nobis integritatem exigunt. ex quibus se ita concludere posse arbitrantur, aut illudere nobis Deum, quum pietatem requirat, iniquitatem interdicat: aut ea tantùm requirere quæ sunt in nostra potestate. Hîc primò ostendit, quæcunque sub hoc genere cadunt in tres species diuidi posse. quarum prima eiusmodi testimonia complectitur, quæ primam ad Deum conuersionem exigunt: secunda, quæ simpliciter de Legis

gis obſeruatione loquũtur:tertia, quæ perſeuerare in recepta Dei gratia iubent. Deinde argumẽtum illud de Lege in genere vanitatis conuincit: alios ſiquidem fines eſſe promulgationis Legis,ex Paulo,& Auguſtino.

8 Tum etiam ex multis Scripturæ teſtimonijs oſtendit, quomodo reſponderi poſſit ad ea omnia loca, quæ ſub tres illas ſpecies cadunt.

9 Neque permittendum eſſe aduerſarijs, vt cauillentur,ea teſtimonia ſic intelligi poſſe, vt nihil impediat quo minus ipſi conferamus noſtras vires, & infirmis conatibus Deus ſuppetias ferat:quaſi conuerſionis noſtræ effectus inter Deum & nos dimidiari oporteat. Hoc etiã quàm infirmum ſit, ſuprà eſſe cõmonſtratum. (c.2.ſ.27.)

10 Secundam claſſem eorũ eſſe, quæ promiſſiones quaſdam allegant, quibus Dominus cum voluntate noſtra paciſcitur. ex quibus concludunt, importunè & per ludibriũ, quæ Dominus in promiſſionibus offert beneficia voluntati noſtræ delegari, niſi noſtrum ſit illa vel ſtabilire,vel irrita facere.Contrà verò oſtenditur, quum offerantur promiſſiones eiuſmodi apud fideles iuxta & impios vſum habere, vt in illis conditionalibus particulis,Si volueritis,Si audieritis,&c.neque volendi,audiendiue liberam facultatem nobis Dominus tribuat, neque tamen ob impotentiam ludibrio nos habeat.

11 Tertiam claſſem eorum eſſe, quibus ingrato populo Deus exprobrat,per eum duntaxat ſtetiſſe, quominus ab indulgentia ſua omne genus bonorum receperit. Ex quibus cõcludũt fruſtra nobis mala exprobrari, quæ effugere non fuit noſtræ poteſtatis. Hic igitur probatur non tantùm futile & infirmum patrocinium eſſe in obtentu neceſſitatis;ſed etiam, quum ſuo, non alieno vitio & diuinis beneficijs priuentur peccatores, & vltionibus caſtigentur (quippe qui intra ſe mali cauſam inueniant, vtcunq; veſtigãdis extraneis cauſis inhient)ſatis id quidem eſſe ad ſoluendum hunc nodum. vſum tamẽ huiuſ-

modi exprobrationum duplicem esse. Vbi etiam cauendum esse monet, ne aut culpam extra nos quæramus; aut benè agendi partes idcirco nobis tribuamus, quia nonnunquam Scripturæ nostri excitandi causa ad nos per concessionem transferunt, quod tamen re vera & propriè in Deum solum competere docent.

12 Locum illum Deut. 30. 11. huic solutioni non aduersari.

13 Quartam classem eorum esse, quibus ostenditur Deum interdum, reducto gratiæ suæ subsidio, explorare homines, & expectare quorsum conuertant sua studia, ea quoque nihil pro ipsis facere.

14 Quintam & vltimam eorum esse, quæ ex perpetua loquendi ratione (quæ tum in Scripturis, tum in hominum sermonibus obseruatur) &, bona opera nostra nuncupant; & nos, quod sanctum placitumque, Domino est, non minus facere, quàm peccata perpetrare dicant. Neutram loquendi rationem quicquam pro ipsis facere.

15 Gratiam Dei omnia in nobis operari: sic tamen, vt nostra duplici ratione dicantur, quæcunque bona nos operamur; etiamsi nihil à seipsa conferat nostra voluntas, quod ab eius gratia separetur.

16 Nunc ad singularia quædam loca venit, quæ commodè & propriè ad nullam istarum classium referuntur: quæ tamen negat multum negotij ijs facessere posse, qui superiores modò solutiones probè imbiberint. Ac primùm quomodo respondendum sit ei loco quem citant ex Gen. 4. 7. Sub te erit appetitus tuus. eumque, licet duplicem sensum habere possit, nihil pro illis facere quocunque tandem sensu accipiatur.

17 Deinde & illud, quod ex loco Pauli non esse volentis nec currentis &c. Rom. 9. d. 16. colligunt, quàm sit infirmum, vtcunq; Originem & Hieronymum pro se habeant, ostendit: primùm interpretãdo, deinde Augustini authori-

authoritatem regerendo. Tertiò & illud manibus eorum excutit, quòd Dei cooperarij dicamur, 1. Cor. 3. 9. Ibid.

18 Quartò respondet ad locum illum vulgatum Ecclesiastici, Ecce posui ante te ignem & aquam, &c. cap. 15. 14.

19 Vltimò respondet ad obiectum illud quod ex allegorico sensu parabolæ de aduena saucio & semiuiuo, Luc. 10. 13. eliciunt: primùm ratiocinando à Lege allegoriarum: deinde locum ipsum per alia loca interpretando: postremò authoritate Augustini ostendendo, quomodo semiuiuus alio sensu dici potuit. Vbi etiam annectitur totius huius tractationis conclusio.

CAP. VI.

Homini perdito quærendam in Christo redemptionem esse.

INVTILEM esse totam illam Dei Creatoris, de qua disseruimus cognitionem, vt nunc est post lapsum nostra conditio, nisi succedat etiam fides, Deum in Christo Patrem nobis proponens: atque hanc doctrinam ab exordio mundi omnibus seculis locum habuisse inter Dei filios: adeoque turpiter hallucinari eos qui prophanis & incredulis quibuslibet spem * salutis faciunt, qui Christum nunquam didicerunt; sed generali tantùm Dei notitia aliqua illustrati sunt.

* *Ergo &c. in Annotationibus. Pag. 6.*

2 Ex tribus illis membris sectionis præcedentis, secundum tantùm prosequitur vsque ad finem capitis: nempe vt euincat, nunquam se Deum veteri populo ostendisse propitium, aut spem gratiæ feciſſe, nisi quatenus Christus mediator futurus esset. id contendit delineatũ fuisse primùm, in Sacrificiorum ritu: deinde in electione vnius populi, aut discretione sobolis Abrahæ: postremò in Dauidis, & posterorum eius persona.

3 Non aliunde quàm ex hoc ipso fonte in rebus afflictis aut solatium promissum fuisse, aut fiduciæ & spei

vexillum vnquam erectum.

4 Atque ita Deum huiusmodi disciplina Iudæos imbui voluisse, vt liberationis petendæ causa, recta oculos ad Christum conuerterent: idque Christi ipsius approbatione confirmatum deinceps fuisse: ideoque vulgare illud dictum, *Deum esse fidei obiectum, correctione aliqua opus habere.

*Hoc fusius explicatur lib 3. cap. 3. sect. 1. 2.

CAP. VII.

Legem fuisse datam, non quæ populum veterem in se retineret: sed quæ foueret spem salutis in Christo, vsque ad eius aduentum.

PRIMVM in genere ostendit Legem, hoc est, vniuersam religionis formam veteri populo per manū Mosis à Deo traditam, nos multis modis ad Christum dirigere, vtpote per sacrificia, ablutiones, & ingentem cæremoniarum congeriem (quorum omnium vsum vanitatis dānari necesse est, si absque Christo cōsiderētur.)

2 Per Sacerdotium similiter in tribu Leui, & per regiam illam dignitatem quæ in familia Dauidis, erecta fuit, perque ipsam Legem Moralem.

3 Deinde, quum Lex Moralis clarissimè id faciat, in ea tantùm deinceps insistit. eam scilicet perfecta coram Deo iustitia monstrata, nos quod eandem assequi nequeamus, procul à vita arcere, & æternæ morti dijudicare: vt ad remedium in Christo quærendum solicitet.

4 Promissiones tamen Legis Moralis etsi conditionales, optima tamen ratione datas esse.

5 Nec verò absurdum cuiquam videri debere, quòd impossibilem esse legis obseruationem contēdat: vtcunque Hieronymus, maximè verò Pelagiani aliter senserint.

6 Sed, quò res tota melius patefiat, nempe, quomodo ad Christum Lex perducat, officium vsumque Legis Moralis diligentius inspiciendum esse, ipsumque in tria præci-

præcipua capita distribuendum censet. quorum primum sit, vt dum iustitiam Dei, hoc est, quæ sola Deo accepta est, depingit, suę vnumquenq; iniustitiæ admoneat, certiorem faciat, conuincat denique & condemnet.

7 Legem igitur, cum instar speculi sit, in quo nostrã impotentiam, tum ex hac iniquitatem, postremò ex vtroque maledictionem contemplemur, iram Dei veluti in peccatoris exitium armare: neque tamen inde sequi, vt Lex, aut ignominia afficiatur, aut de sua excellentia quicquam amittat.

8 Non tamen idcirco Legis testimonio omniũ nostrum iniquitatem & condemnationem consignatã esse, vt concidamus desperatione, ac desponsis animis in præcipitium (quãuis id in reprobis operetur) ruamus: sed vt omissa nostræ virtutis stolida opinione, nudi, & vacui ad eius misericordiam confugiamus: &, quî id fieri possit.

9 Hunc, quem erga fideles, vsum habet, Augustinũ manifesto, & sæpissimè annotasse: alterum vero, quem erga reprobos habet, non item, quamuis & ille quoque sit annotandus.

10 Secundum Legis officium vsumque esse, vt qui nulla iusti, rectique cura, nisi coacti, tanguntur, dum audiunt in ea diras sanctiones, coerceantur saltem pœnarum formidine, & quamuis nihilo meliores coram Deo ex hoc efficiantur esse, tamen publicæ hominum communitati valdè necessarium: nec tantùm reprobis, sed etiam electis ante regenerationem.

11 Primo, ad commonstrãdam vnicuique suam miseriam: deinde ad retinendum vnumquemque in suo officio, saltem, ne ita laxet fræna carnis suæ lasciuiæ, vt ab omni iustitiæ studio prorsus excidat.

12 Tertium Legis officium (quod & præcipuum est, & maximè proprium) erga fideles tantùm locum habere. idque esse, primùm, vt eos de voluntate Dei fideliter, & indies magis magisque instruat: deinde, vt exhor-

tatione excitet in obsequium.

13 Opinionem igitur illam profanam longè ex animis nostris facessere debere, alienum scilicet Christianos esse, adhærere doctrinæ Legis, quippe quæ mortis administrationem contineat.

Atque ita occasione ista oblata, de abrogatione Legis disputat. primùm de abrogatione Moralis 14. 15. Deinde de abrogatione Ceremonialis, 16. 17 ubi etiam obiter notandum venit, quod nihil hic, de abrogatione Legum Civilium sive iudicialium, habeat.

14 Quo sensu Lex Moralis vigere adhuc ritè dicatur: nempe, quatenus vim exhortationis erga fideles habet, dum pigritiam subinde instando excutit, & imperfectionem vellicat: tum etiam quo sensu aboleatur, nempe quatenus à maledictione, qua conscientias nostras ferit, liberati sumus.

15 Confirmatio superioris sententiæ: nempe, non alia ratione Paulum docuisse Legem abrogatam esse, satis inde constare, quòd maledictionem in causa ponat: quam omnes norunt, non ad institutionem, sed ad constringendæ conscientiæ vigorem solùm pertinere.

16 Ceremonias, quoad vsum, non quoad effectum abolitas esse: atque hoc illis magis in honorem cedere.

17 Rationem verò quam assignat Paulus Col. 2. 13. non ad Legem Moralem spectare, sed tantùm ad observationes ceremoniales. eas quoque non ideò solùm abolitas, quòd fuerint quasi interstitium quoddam, quo Iudæi à Gentibus dissidebant, aut impedimentum, quo à societate Israelis Gentes olim arcebantur: sed multò magis, quòd nihil essent, quàm solennia quædam instrumenta, quæ reatum, & immunditiem nostram testarentur. quæ ambo quum Christus morte sua abstulerit, meritò chirographum, quod contra nos erat, sustulisse, & cruci affixisse dicitur.

CAP.

CAP. VIII.

Legis Moralis explicatio.

Legem Moralem explicaturus, primò, generalia quædam præmittit, 1-5. deinde, tres obſeruationes ponit, 6-12. Tertiò, Legem ipſam explicat, 13-50. Poſtremò, oſtendit quorſum Lex vniuerſa ſpectat, nempe, non tãtùm vt rudimenta, ſed etiam vt perfectionem doceat, 51 59.

LEGEM ſcriptam eſſe, vt vtilem illam & ſalutarem cùm Dei, tum etiam noſtri notitiam, qua nos tenuiter & obſcurè lex naturalis imbuerat, pleniùs & perfectiùs nos edoceret.

2 Legem igitur ita & Dei & noſtri notitiam tradere, vt ex prima diſcamus Deum, iure locum Patris & Domini erga nos obtinere: iuſtitiam & rectitudinem illi cordi eſſe, iniquitatem verò abominationi. quibus duobus poſitis, neceſſariò illud emergere, vt indefeſſo labore iniquitatem fugiamus, iuſtitiam colamus; vtcunque nos, velut exhauſti debitores, ſoluendo non ſumus.

3 Ex altera fœditatem, & impotentiam noſtram intueamur: vt in nobis ipſis fruſtrati & pudefacti, aliud auxilium conquiramus.

4 Hinc etiam, non aliunde eſſe, quòd Deus, non contentus nuda præcepta propoſuiſſe, promiſſiones etiam & minas ſubiunxerit. vtraſque, non tantùm res terrenas vel momentaneas, ſed etiam cæleſtes, & æternas comprehendere. minas denique & ſanctiones ſummam Dei puritatem, quæ iniquitatem ferre non poteſt; promiſſiones verò, & ſummam eius erga iuſtitiam amorem, & erga nos benignitatem teſtari.

5 Quòd verò Dominus perfectæ iuſtitiæ regulam traditurus, omnes eius partes ad voluntatem ſuam reuocarit, id omnia fictitia opera vanitatis, & veræ iuſtitiæ non tolerandæ profanationis, arguere; eaq; tantùm approbare, quæ præſcripta ſunt: quandoquidem obedientia debet eſſe mater & origo omnium virtutum.

6 Nunc ad obſeruationes venit: quarum primam

vult esse vt statuamus, non ad externam honestatē modo, sed ad interiorem spiritualemque iustitiam, hominis vitam in Lege formari: atque in hac re ab edictis magistratuum differre.

7 Id authoritate Christi confirmat.

8 Secundam, in præceptis ac interdictis plus semper inesse, quàm verbis exprimatur: sic tamen, vt ea non habeamus instar Lesbiæ regulæ, vt quodlibet ex quolibet faciamus. sed vt finem præcepti scrutemur, donec reperiamus, quid propriè illic testetur sibi placere legislator, vel displicere: tum etiam, vel ab eo ipso, ad contrarium ducamus ratiocinationem.

9 Si prohibitorium est, non tantùm mala prohibere, sed [a] contraria etiam officia manifesto iubere.

10 Atque idcirco Deum proposuisse quod erat in *vnoquoq; trāsgressionis genere sceleſtissimū, vt quantum sit in vnoquoq; genere abominationis ostenderet.

11 Tertiam, Legē ritè & appositè distribui primum in duas tabulas: quarum prior religionem, sine qua nihil solidum constare queat, complectitur: altera charitatem erga proximos.

12 Deinde in decem præcepta: quorum primæ tabulæ quatuor priora, secundæ sex reliqua assignat.

13.14.15. Iam Legis præcepta sigillatim explicaturus, initio quorsum præfixa sit præfatio ostendit: nempe, ad vindicandum Legem à contemptu: eumque ad hoc vti triplici argumento. in hunc enim finem esse, quod primùm, potestatem ac ius gladij sibi vendicet: deinde, promissionem gratiæ proponat: postremo, recentis beneficij commemoratione sibi vni astringat.

16 PRIMVM Præceptum non solùm hunc habere finem, vt Deus in populo suo solus emineat: sed etiam iubere, primo, vt omnis impietas & superstitio caueatur: deinde, vt vero pietatis studio colatur Deus.

17 SECVNDI præcepti duas esse partes: quarum prior

[a] *Hoc ipse Christus abūdè, & perspicuè docet: dum vniuersa & singula mandata Legis, ad dilectionem reuocat: quod vtique longè maius est, quàm non occidisse, non odisse, aut quippiā tale.*

* *Id verò, &c. pag. 6.*

prior licentiam nostram coercet, ne Deum, qui incomprehẽsibilis est, sub sensus nostros subijcere, aut vlla specie repræsentare audeamus: altera vetat ne imagines vllas adoremus religionis causa.

18 Sanctionem, quæ sequitur, ad excutiendã socordiam nostrã apponi: eam namque Dominũ quatuor elogijs ornatum inducere, fortem, æmulatorem, acerrimũ vĩdicẽ, & misericordẽ. vbi etiã speciatim de æmulatione,

19.20. Quo sensu sit accipiendum, primùm, quòd se visitaturum edicit iniquitatem patrum in filios, ad tertiam & quartam generationem:

21 Deinde & illud, de propaganda in mille generationes Dei misericordia.

22 TERTII Præcepti finẽ esse, vt omnem numinis diuini profanationẽ caueamus, & ipsum religiosa veneratione prosequamur. Ea verò quæ ad hoc præceptum pertinent, in tres classes distribui posse: nẽpe, vt omni veneratione & Deũ ipsum, eiusq́; mysteria, & opera prosequamur. Hoc igitur pręceptũ magicas artes in totũ damnare. hîc verò de iuramento nominatim agi, quòd in eo peruersus diuini nominis abusus maximè est detestabilis

23 Se autem non hîc agere de execrationibus, quę manifesta in Deũ probra continent (vtpote quę indigna sunt quę inter iuramenta censeantur) sed de iuramento, hoc est, Dei attestatione ad veritatem sermonis nostri confirmandã. quæ si ritè peragitur, species diuini cultus censeri debet: sin minus, sacrilega eiusdẽ profanatio est.

24 Hîc verò dupliciter peccari: primum, si Dominum ipsum attestantes, vel peieremus, atque ita contumeliam ipsi faciamus:

25 Vel, quum, superuacuis iuramentis eum adhibentes, vilem quodammodo & contemptibilem reddamus. Deinde, si in [b] eius locum sanctos Dei seruos, aut aliud quippiam in iuramentis substituamus. Ibid.

26 Contra Anabaptistas, qui omnia iuramenta sine

b *Quicunque iuramento fidem de re aliqua facturus*

est, id satagit, (aut saltē moliri videtur) vt quæ abdita latet rei veritas, in lucē prodeat. Id quia per se efficere non potest (quod nullam sibi fidem ab audiētibus haberi videt) de teste aliquo veraci appellando cogitat. Hic autem in mentem subire necesse est, omnem hominem mendacē esse, aliaq; omnia ita corrupta & depraua ta esse, vt nō nisi in vno Deo veritas reperiatur. Hinc optima ratione fit, vt ingenui & aperti homines Deum ipsum (quoties opus est) sancte attestentur: & nefas ducant, in eius locum aliud quippiā substituere.

exceptione execrātur, quòd Christus dixerit ne iuretis omnino, tribus vtitur argumentis. primùm quòd Christus Patri contrarius esse non possit, vt id prohibeat & damnet, quod Pater permittit ac iubet: deinde locum ipsum interpretando:

27 Postremò, ab exemplo Christi & Apostolorum. Nec tantùm publica iuramenta licita esse, sed priuata etiam, adhibitis cancellis quos Lex præscribit: qui etiam ibidem recitantur.

28 Qvartvm præceptum huc tendere, vt proprijs affectibus & operibus emortui, regnum Dei meditemur, atque in eam meditationem, institutis ab ipso rationibus exerceamur. habere tamen peculiarem & diuisam à reliquis consideiationem: quod aliqua ex parte vmbratile sit, ideoque cum reliquis figuris abolitum. Nihilominus huius mandati tres causas assignari posse.

29 Spiritualis quietis adumbrationem primarium locum tenuisse: quo etiam indicatur, Deum esse nostrum sanctificatorem. vnde & illud sequitur, feriandum nobis esse, ne Deum in nobis operantem impediamus.

30 Si quis arcanam aliquam in septenario numero significationem requirat, sensus erit, Dominū per diem septimum populo suo delineasse futuram sui sabbathi in vltimo die perfectionem: quò continenti sabbathi meditatione ad hanc perfectionem tota via aspiraret.

31 Si vero arcanam illam numeri obseruationem, seu nimis argutam quis fastidiat, & simpliciùs accipere malit, parum interesse; modò mysterium quod præcipuè delineatur maneat, de perpetua nostrorum operū quiete: sic tamen, vt à Christianis procul abesse debeat superstitiosa dierum obseruatio.

32 Duas posteriores causas esse quibus nos inducimur, vt Iudæorum sabbatho abroga o diem septimum obseruemus. primùm, quòd necessitas requirat, vt statis diebus, ad audiendum verbum, ad mystici panis fractionem,

nem, ad publicas orationes conueniamus: Deinde, vt ſeruis,& operarijs,atque adeò ipſis iumentis ſua detur à labore remiſſio.

33 Contra inquietos quoſdam ſpiritus, qui hodie quiritantur plebem Chriſtianam in Iudaiſmo foueri, quia retinetur aliqua dierum obſeruatio.

34 Non ſine delectu Dominicũ quẽ vocamus diem, veteres in locum ſabbathi ſubrogaſſe: quanquam & hîc quoq; abeſſe debeat ſuperſtitioſa neceſſitas.quod erit,ſi ad ſolam obſeruationẽ diſciplinæ, & ordinis bene compoſiti referatur, ne religio inter nos vel concidat,vel lãgueſcat.

35 QVINTI mandati finem eſſe, vt quos nobis præfecit Dominus, eos ſuſpiciamus;eoſque & reuerẽtia & obedientia, & gratitudine proſequamur: vnde ſequitur interdictum, ne quid eorum dignitati,vel cõtemptu, vel contumacia,vel ingratitudine derogemus: &,quorſum patris tantùm, & matris mentionem faciat.

36 Nec intereſſe, digniue, an indigni ſint, quibus honor iſte deferatur. Vbi etiam confirmatur, tres illas ſpecies honoris ipſis deberi.

37.38 Quorſum promiſſio addita ſit, & quo ſenſu accipienda.quouſque etiam maioribus ſit obediendum.

39 SEXTI præcepti ſummam hanc eſſe,vt procul abſit non tantùm externa violentia & iniuria, [d] ſed ira etiam, & odium, & interna nocendi libido. contrà verò incolumitatem & trãquillitatem omnium & ſingulorum vnumquenque & animo meditari & totis viribus procurare debere.

c Ego verà promiſſionem iſtam non tãtùm ad ſingulos,ſed etiam, multoq; magis ad vniuerſos extendendam cẽſeo: vt præter cõmunem, hanc etiam ſenſum habeat,eos tamdiu felicẽ reipub. ſtatum habituros, quandiu magiſtratibus obſequantur: tum verò miſerrimam, cum primùm hoc præceptũ violaturi eſſent.quod etiam poſt Iſraelitis accidiſſe omnes norunt.

d Quum ex ira, & odio naſcatur homicidium, dum hoc nominatim vetat, & illa quoq; omnia ex quibus originem ducere ſolet, manifeſtò prohibet. Deinde ſi occidit, qui, quum ſeruare poteſt, non ſeruat.nemóq; ſeruet, quem vel odit, vel non diligit,hinc etiam ſequitur, eorum omnium homicidia nos eſſe, quos vel odio proſequimur, vel non diligimus. Atq; ad hanc normã exigẽdus erit ſenſus trium præceptorũ proxime ſubſequentiũ.

40 Eius autē rei (vt nihil hîc dicamus de argumentis, quæ à redēptione Christi duci possint) duas esse causas: nempe quia homo, & imago Dei est, & caro nostra.

41 SEPTIMI præcepti summam esse, vt ne qua spurcitia, vel libidinosa intemperie carnis inquinemur: vtque castè & continenter omnes vitæ nostræ partes moderemur. maximè verò quum Dominus in hac parte nobis opitulatus sit, dum coniugium instituit.

42 Continentiæ donum in manu solius Dei esse; alijs omnino negatum, alijs non nisi ad tempus concessum.

43 Tandiu igitur vnumquēq; à coniugio abstinere posse, quā diu erit ad seruandū cœlibatū idoneus: si vltra pergat, eum Deo, & naturæ ab ipso institutæ repugnare.

44 Coniugibus etiam cauendum, ne fœdis libidinibus sic fræna laxent, vt vxorū adulteri potius quā mariti censeri debeant. Hoc denique præcepto damnari quicquid aut animo, aut oculis, aut corporis cultu, aut lingua, aut immoderato cibi, potusque vsu contra continentiæ leges peccatur.[d]

[d] Ad eandem classem pertinent, aures turpiloquio patefacere, vitam otiosè trāsigere, cœlibatus votū nuncupare, nolle matrimonium inire cum nequeas continere: & quacūque excogitari possunt, ex quibus aut incontinentia nasci queat, aut continentiæ volanda occasio.

45.46 OCTAVI præcepti finem esse, ne rebus alienis inhiemus: ac proinde nos eo iuberi, suis vnicuique conseruandis bonis fidelem operam nauare: neque id modò sed quos rerum difficultate premi videmus, eorum necessitatibus communicare: &, in summa soluere, quod quisq; in suo ordine & loco, siue priuatus, siue magistratus, proximis debeat.

47.48 NONI præcepti finem esse, ne vel calumnijs falsisque criminationibus violemus alicuius nomen, vel mendacio in suis fortunis grauemus. Denique ne maledicētiæ & procacitatis libidine, aut falsis facetijs quempiam lædamus: sed vt vnicuique fidelem operam quoad licet in asserenda veritate commodemus, ad tuendam & nc minis & rerum suarum integritatem.

49.50 VLTIMI summā esse, nequa cogitatio nobis irrepat,

irrepat,quæ noxia,& in alterius detrimentum vergente concupiſcentia,animos noſtros cõmoueat: ſed,vt quicquid concipimus, deliberamus,volumus,meditamur,id cum proximorũ bono & cõmoditate ſit cõiunctum. atq; hoc mandatũ diſtinctione cõſilij & cõcupiſcentiæ(quæ tamen à nuda phantaſia ex altera parte differre debet) facilè à ſeptimo & octauo diſtingui poſſe. Eos etiam ineptè facere, qui hoc mandatum in duo partiuntur.

51 Decem præceptis explicatis,iam oſtendit quorſum Lex vniuerſa ſpectet: nempe, ad puritatis diuinæ exemplar,in iuſtitiæ complementum:non,vt rudimenta iuſtitiæ,& primordia quædam duntaxat tradat.

52 Quòd Chriſtus & Apoſtoli interdum in commemoranda Legis ſumma,priorem tabulam prætermittant,& in ſecunda tantùm inſiſtant, ideò facere,quod illic magis perſpicitur iuſtitiæ & integritatis ſtudiũ,quàm in priore.

53 Nec tamen pluris eſſe ad iuſtitiæ ſummam;cum hominibus innocenter viuere, quàm pietate Deum honorare:ſed quia non temere quis charitatem per omnia cuſtodit niſi Deum ſeriò timeat, inde quoque pietatis approbationem ſumi.

54 Namque tum demum optimè ad Dei voluntatem, Legiſque præſcriptam compoſitam fore vitam noſtram,quum fratribus omni ex parte fructuoſiſſima fuerit. tantum abeſſe, vt philautiæ primas partes, cum Sophiſtis Sorbonicis concedamus.

55 Et quanuis, vt quiſq; eſt nobis coniunctiſſimus, ita officijs noſtris familiariùs eum adiuuare liceat:tamẽ alieniſſimum quenque, adeoque vniuerſum hominum genus, nulla exceptione vno charitatis affectu eſſe amplexandum.ideoque cõuenire, vt non in hominem primùm,ſed in Deum oculos conuertamus.

56 Scholaſticos igitur in hiſce rebus à recta via dupliciter exorbitaſſe:primò,quòd ex præceptis de nõ ap-

petenda vindicta & diligendis amicis, consilia fecerunt: eorum necessariam obedientiam, non ad omnes Christianos, sed tantùm ad monachos relegantes.

57 Eos igitur hoc nomine culpandos esse ostenditur ex Scripturis & Patribus: & ambæ, quas adferunt rationes (nempe, quod nimis onerosa & grauia sint: deinde, quod non decet Christianos, qui sunt sub lege gratiæ, tam arcta lege constringi) refutantur.

58 Deinde, quod peccatum veniale nuncuparunt, cùm occultam impietatem, quæ primæ tabulæ aduersatur tum directam vltimi mandati præuaricationem. vtrunque clarissimis rationibus sigillatim primò:

59 Deinde coniunctim refellitur. ac nullũ esse peccatũ veniale nisi in electis: idque non ex sua natura: sed quòd Dei misericordia veniam consequantur. reliqua omnia mortalia esse.

CAP. IX.

Christum, quamuis sub Lege Iudæis cognitus fuerit, tamen Euangelio demum exhibitum fuisse.

NOBIS pleniùs reuelatum esse Christum in Euangelio quàm patribus sub Lege.

2 Vtcunque Euangelij vox largè sumpta, sub ea cõprehendat quæ olim testimonia Deus misericordiæ suæ patribus dedit; Euangelium tamen propriè & specialiter vocari debere, promulgationẽ exhibitę in Christo gratię.

3 Hic cauendum esse ab errore Serueti, qui promissiones in totum abolet, quasi finem simul cum Lege acciperent, & fide Euangelij nobis afferretur promissionũ cõplementũ. quasi verò aliter Christo solide frui liceret, nisi quatenus eũ cõplectimur promissionibus suis vestitũ.

4 Vnde etiam & eorum error deprehenditur, qui Legem nunquam aliter Euangelio conferunt, quàm operum merita gratuitæ imputationi iustitiæ.

5 Ioannem Baptistam medium quoddam munus inter

inter Prophetas & Apostolos obtinuisse.

CAP. X.

De similitudine Veteris, & Noui testamenti.

PROPTER Seruetum, & quosdam ex Anabaptistis, obiter inspiciendum censet, quid simile, quídue diuersum habeant, quod olim cum Israelitis fœdus ante Christi aduentum Dominus pepigit, & quod nunc eo manifestato percussit nobiscum.

2.3. Id primùm, in genere docet: nempe, re ipsa vnum esse, administratione verò diuersum. Quò autem res tota manifestior fiat, de vtroque separatim dicturus, primùm contendit tria esse, in quibus per omnia conueniunt. primum esse quod vetus testamentum perinde ac Nouum, non tantùm ad carnalem opulentiam vel præsentem vitam; sed multò magis ad spem immortalitatis, & futuram vitam spectarit.

4 Quo constituto, reliqua duo suapte consequi: vtrunque scilicet, & gratuita Dei misericordia constitisse, & Christi intercessione fuisse confirmatum.

5 Quum autem duo posteriora à priore pendeant, in eo tantùm probando vsque ad finem capitis insistit.

Ac primò, Apostoli testimonio idipsum probat: qui à pari Sacramentorum significatione, argumentatur, parem illorum conditionem cum nostra fuisse.

6 Et quoniam nonnulli ad eludendum hoc argumentum obijcere solent quod dixit Christus, Patres qui manducauere manna in deserto, nihilominus mortuos esse, eos autem qui suam carnem manducaturi essent, nunquam intermorituros, ostendit eum locum nihil contra suam sententiam facere.

7 Deinde ex Vetere testamento, quòd ita certius conuincantur aduersarij, primò, quòd ea verbo Dei insit vitæ efficacia, vt quoscunque Deus participatione eius dignatur, eos in spem vitæ æternæ segreget.

8 Deinde ex verbis fœderis, quòd promittat se Deus fore illis in Deum, & eos vicissim futuros sibi in populum.

9 Tertiò, quòd non modò se illis Deum esse testaretur, sed se quoque ita *semper* futurum promitteret.

10 Quartò, quòd Patres omni tentationum genere sic Dominus exercuerit, vt non in hac vita benedictionem eius se recepturos sperarent: sed alibi meliorem vitam repositam esse scirent, ac neglecta terrena, illam meditarentur. hoc verò multis exemplis ostendit: primùm Adæ, Abelis, & Noe.

11 Deinde Abrahæ,

12 Tertiò Isaacci & Iacobi,

13 Ex quibus concludit, eos, non in terris, sed alibi, promissionum Domini complementum expectasse. ob eamque causam, & hanc vitam non nisi peregrinationē nuncupasse; & sepulturam in terra Canaan (quæ vtique æternæ felicitatis figura illis erat) tanti æstimasse.

a Vitio potius quàm laudi Iacobo hoc ipsum fortasse vertet, quicunque locū propius inspexerit. vide li. 3. ca. 2. sect. 3. annot. in margine.

14 Quintò, quod exemplo Iacobi, primogenituram tantopere [a] affectantis, appareat eos in omnibus vitæ studijs, propositam futuræ vitæ beatitudinem habuisse. nec sanctos modo, sed ipsum Balaam eiusmodi intelligentiæ gustu non caruisse.

15 Sexto, quod ipse Dauid tanta sibi a Domino, támque mirifica pollicetur: qui tamen hanc vitam nihil aliud vult esse quàm vanitatem, vnde sequitur eum alibi suam felicitatem repositam habuisse, & eiusmodi salutem expectasse, quæ cum Dei æternitate coniuncta sit.

16 Septimo, quod non aliter accipere liceat, quæ de fidelium prospero successu passim canit, nisi vt in cœlestis gloriæ manifestationem conferantur: quandoquidē hîc omni malorum genere premuntur.

17. 18. Atque eo sensu fideles omnes has promissiones accepisse, vt ad Dei sacrarium oculos attollerent, in quo reconditum habebant, quod in præsentis vitæ

vmbra

vmbra non apparuit.

19 Octauò, quod Iobus omniũ apertissimè de hac re disseruerit, ca.19.25.Nec hîc obstrepere quẽquã possit,paucorum fuisse istas voces, ob eámque causam, istis liquido probari non posse, talem fuisse inter Iudæos receptam doctrinam. quod quàm futile sit,ostendit.

20 Postremo,si ad posteros prophetas descendatur, admodũ facilem esse victoriam : quod quo proprius tẽporis progressu ad plenam exhibitionem accedebatur, ita maioribus in dies reuelationis incrementis hæc res illustrata est.maximè vero si hoc vnum obseruetur,quoties fidelis populi beatitudinem prophetæ commemorant,non ideo fuisse, vt in præsenti vita eam quærerent: sed, vt in temporarijs beneficijs, velut lineamentis quibusdam, talem mentibus conciperent, quæ extra elementa huius mundi, & periturum seculum eos raperẽt.

21 Id vno exemplo ex Ezechiele sumpto de ossibus aridis viuificatis,dilucide probari.

22 Esse tamen in prophetis aliquot locos,qui nullo integumento futuram,quæ in regno Dei fideles manet, immortalitatem demonstrant : vt Isa.66.22. & Dan.12.1.

23 Conclusio totius capitis. vbi rursus in pleniorem confirmationem, quædam Scripturæ testimonia adducuntur : & tam Sadducæi,quàm Iudæi reprehenduntur.

CAP. XI.

De differentia vnius testamenti ab altero.

QVINQVE esse Veteris & Noui testamenti differentias : quæ tamen ad modum administrationis potius quàm ad substantiam pertineãt.primam esse, quod in vetere testamento cœlestem hæreditatem sub terrenis beneficijs cõtemplandam & degustandam Dominus exhibuerit:nunc vero ad eam, inferioribus istiusmodi subsidijs omissis,rectà mentes nostras dirigat.

2 Hæc in similitudine quam posuit Apostolus de hærede paruulo melius elucere.

3 Atque ob hanc causam tanti patres hanc vitam eiusque benedictiones interdum æstimasse.

4 Alterum discrimen esse, quod Vetus testamentũ, dum ceremonijs omnia adumbrabat, absente veritate, imaginem tantùm, & pro corpore, vmbram ostentabat: nouũ vero præsentẽ veritatem, & corpus solidũ exhibet.

5 Atque hinc esse, quod Legis pædagogia dicamur ad Christum deduci.

6 Nec obstare, quod nemo fere in christiana Ecclesia reperiri queat, qui fidei præstantia sit cũ Abrahamo conferendus: aut, quod ea vi Spiritus excelluerint prophetæ, qua hodieque orbem vniuersum illuminant.

7 Tertium discrimen esse, quod ex Ieremia 31. 31. & 2. Cor. 3. 6. sumitur, de ponenda lege Dei in visceribus fidelium, & cordibus eorum inscribẽda ea. de quo priùs generatim agit:

8 Deinde membratim singula inter se confert. vbi etiam optimam, & succinctam Legis, & Euangelij comparationem reperias.

9 Quartũ discrimẽ esse, quòd Vetus testamentũ scriptura vocat seruitutis, quòd timorem in animis generet: Nouũ autẽ libertatis, quòd in fiduciã & securitatẽ eosdẽ erigat. Id vbi ex tribus locis ostenderit, obiectionẽ diluit.

10 Tres istas posteriores differentias comparationes esse Legis & Euangelij: primam verò latiùs extendi, nempe ad promissiones quæ ante legem æditæ sunt. quas ex Augustino ostendit sub nomine Veteris testamenti censendas non esse. quandoquidem, qui eas habebant, ad mediatorem dirigebantur, quemadmodum & Patres, qui post sub vetere testamento agebant.

11 Quintum discrimẽ esse, quòd Vetus testamentũ ad vnũ tantùm populum pertinebat: nouum ad omnes.

12 Qua occasione subiungit de vocatione Gẽtium non

non magis ſuccinctam, quàm inſignem tractationem.

13 Quo vero iſta clariora euadãt, duabus obiectionibus reſpondet, quibus hæc doctrina de differentia Veteris & Noui teſtamenti grauari ſolet. quarum prior eſt, quod minimè conſentaneum videatur, Deum, qui perpetuo ſibi conſtat, tantam mutationem perpeti poſſe, vt quod ſemel iuſſerat, poſtea improbaret. cui hoc ipſo loco reſpondet.

14 Poſterior, quod ab initio cum Iudæis agere potuiſſet, quemadmodũ nũc poſt aduentũ Chriſti nobiſcũ agit. contra hanc obiectionẽ priùs generatim agit: deinde duas eiuſdem partes, de ceremoniarum abrogatione, & vocatione Gentium, ſpeciatim proſequitur.

CAP. XII.

Chriſtũ, vt mediat. officiũ præſtaret, oportuiſſe fieri hominem.

PRIMO generatim contendit, neceſſarium fuiſſe, non abſolutè, ſed ex cœleſti decreto, vt quicunque mediator futurus erat, & Deus, & Homo fieret.

2 Deinde ex officio quod Mediatori præſtandum erat: nempe, vt ſic in Dei gratiam nos reſtitueret, vt ex filijs hominum, filios Dei, & ex hæredibus gehennæ, regni cœleſtis hæredes faceret. hæc vt quis efficiat admodum neceſſarium eſſe, primùm, vt ſit Deus.

3 Deinde, vt ſit Homo.

4 Hanc incarnationis Chriſti cauſam ſufficere debere, ad cohibẽdas oẽs vanas ſpeculationes. cuius generis vnũ recitat: Chriſtum ſcilicet, etiamſi ad redimendũ humanum genus non fuiſſet opus remedio, futurum tamen fuiſſe hominem. Hanc vanitatem (quam paulo poſt Oſiandro adſcribit) quo melius tollat, primùm omnes Scripturas teſtari docet, eum ab initio promiſſum fuiſſe, vt mundum collapſum reſtauraret, & perditis hominibus ſuccurreret: idque valde luculenter, & hoc ordine, primùm ex Lege, deinde ex Prophetis, tertio ex ipſo

Christo, quartò ex Apostolis, vltimò ex alijs omnibus promiscuè.

5 Deinde quàm sit futilis & impia temeritas, quòd eiusmodi leues spiritus imaginantur, horum nihil obstare quominus idem Christus qui damnatos redemit, testari etiam potuerit suum erga saluos & incolumes amorem, eorum carnem induendo.

6 Pòst, & principium Osiandri (Hominem scilicet in hoc creatum fuisse ad imaginem Dei, quia formatus fuerat ad exemplar futuri Christi: nempe, vt illum referret, quē iam Pater carne vestire decreuerat) euertit.

7 Et alias quasdā obiectiones & absurditates diluit.

CAP. XIII.

Christum veram humanæ carnis substantiam induisse.

PRIMVM simplex rei veritas multis Scripturæ testimonijs probatur.

2 Deinde, & Marcionitæ, qui phantasma pro corpore, Christum induisse imaginantur: & Manichæi, qui corpus Christi cæleste vel aëreū faciūt, primū refutātur.

3 Tum etiam comprobantur, nō minus stultè, quā improbè agere, dum testimonia quibus Christus semen Abrahæ, & fructus ventris Dauidis vocatur allegorijs inuoluunt. Qua occasione de genealogia Christi quædā annotātur atque illud inprimis euertitur, quod noui quidā Marcionitæ moliuntur, fœminas sine semine esse.

4 Postremo respondetur ad alia quædam absurda, quibus hęc doctrina apud eius farinę homines grauatur.

CAP. XIIII.

Quomodo duæ naturæ, Mediatoris efficiant personam.

Primùm doctrinam de duabus in Christo naturis breuiter tradit. 1-4. Deinde contra exitialem quendam Serueti errorem de Filiatione Christi, aciem instruit, 5-8.

Primùm

QVod ad primam capitis partẽ attinet, duas esse posse in Christo naturas contendit, primùm, a similitudine, quæ sumpta est à cõiunctione corporis & animę.

2 Deinde à testimonio Scripturarum: primùm eiusmodi, quæ vtrunque sigillatim exprimunt.

3 Deinde aliarum complurium, quæ neutrum sigillatim, sed vtrunque coniunctim docent.

4 Hæc eò tendere, ne cum furiosis quibusdam spiritibus, Christum negemus Deum esse, quia sit homo, aut hominem, quia sit Deus, aut nec hominem, nec Deum esse, quia & homo simul & Deus est: néue, aut cum Nestorio ita distrahamus naturas Christi, vt duplicem Christum faciamus, aut cum Eutiche ita naturas confundamus, vt cum volumus vnitatem demonstrare, vtranque naturam destruamus.

5 Quod ad alteram spectat, quum Seruetus non agnoscat eum Filium Dei esse, nisi quatenus in vtero virginis genitus est, ex Spiritu sancto, primùm, contendit eum Filium Dei ab æterno esse:

6 Deinde suam sententiam confirmat: quia scilicet alioqui necessariò secuturum fuisset, eum humanæ naturæ respectu Filium esse. quanuis interim concedat, Christum hominem Filium Dei dici, & esse, & alio iure quàm fideles: Filium tamen Dei, respectu deitatis, quémadmodum & homo secundum carnem dictus est.

7 Tertiò, ostendit, duo Scripturæ testimonia, quæ pro se affert Seruetus, ad comprobandum, eum humanitatis respectu Filium Dei dici, nihil pro eo facere. aliam quoque eius calumniam, qua fingit, antequam apparuit Christus in carne, nusquam vocari Dei Filium nisi sub figura, euanidam esse. patres deniq; omnes à nobis stare, vtcunque Irenæum & Tertullianum obijcere audeant.

8 Postremò concludit, eos omnes qui Filium Dei non agnoscunt nisi in carne, non alia ratione Filium agnoscere, nisi quia dicitur à Spiritu Sancto conceptus

quasi ex traduce Dei humanam haberet naturam, quēadmodum Manichæi olim imaginati sunt. quodque ad alios Serueti errores qui huc quodammodo tendunt, attinet, superuacaneum ducit, iustam eorum refutationem texere: eorum tamen nonnullos breuiter perstringit.

CAP. XV.

Vt sciamus quorsum missus fuerit Christius à Patre, & quid nobis attulerit, tria potissimum spectanda in eo esse: munus propheticum, regnum, & sacerdotium.

NON reipsa, sed nomine tenus inueniri Christum, nisi apud eos qui eum Prophetam, Regem, & Sacerdotem, idq; non frigidè, sed efficaciter agnoscunt. Quod ad primum attinet, reliquos Prophetas omnes sic interim fulsisse Ecclesias suis prophetijs, vt tamen quodammodo suspensam eam tenerent, vsque ad mediatoris aduentum, qui omnia doceret.

2 Etsi peculiari regni intuitu vnctus dictus sit, in eo tamē & Propheticam, & Sacerdotalem vnctionem gradum suum obtinere. Vnctum igitur & Prophetam esse: & quidem, non tam sibi quàm nobis. atque huc tendere propheticam suam dignitatem, vt sciamus, in summa doctrinæ quam tradidit, inclusos esse omnes perfectæ sapientiæ numeros.

3 De Regno dicturus, primò asserit Spirituale esse, non terrestre, vel mundanū: eius tamen efficacię, vt semper & vniuersam Ecclesiam, & vnumquodq; membrum aduersus omnem diaboli apparatum defendat, immortalitatem quoq; & vniuersis, & singulis Christianis confirmet: quippe qui in æterno Christi solio fundati sunt.

4 Et quia spirituale est, ideò sciendum esse, quicquid nobis felicitatis in Christo promittitur, non subsistere in externis commodis, sed spirituale esse, & ad æternam nos vsque vitam attollere. Duoque esse quæ nobis inde proueniant: priùs, quòd bonis omnibus ad salutem

tem neceſſarijs nos ditet: alterum,quòd ſua virtute nos inexpugnabiles reddat, aduerſus omnes Spiritualium hoſtium impetus.

5 Ideoq; non terreſtri oleo, ſed cœleſti vnctum fuiſſe,nempe Spiritu ſancto: idque non ſibi, ſed,vt nos ieiunos,& aridos,ſua abundantia perfunderet: Spiritu nimirum in Chriſto ſedem delegente, vt inde ad nos cœleſtes diuitiæ largè ſcaturirent.

Quòd dicitur,Regnum ſuum traditurus Deo & Patri, eo ſenſu accipiendum eſſe, vt regni ſui æternitati nihil deroget: ſed tantùm notet, non talem fore in futuro ſeculo regni ſui adminiſtrationem;ſed immediatè per Deum ipſum,quùm omnes Mediatoris partes impletæ fuerint.Ibid.

6 Quod ad Sacerdotium attinet, oſtenditur ipſum eſſe,& vnicum Sacerdotem,qui omni macula purus, & ſibi,& nobis aditum meretur, & vnicum piaculum, quo, & pro peccatis noſtris ſatisfactum, & reatus deletus eſt: maximiq́ue momenti eſſe,quòd ſolenni illo iureiurando abſque pœnitentia,Sacerdos in æternum conſtitutus ſit. ob eamq́ue cauſam non modò precandi fiduciam, ſed etiam tranquillitatem pijs conſcientijs oriri: nempe,quia Sacerdotij eius efficacia aſſequamur, vt in ipſo ſacerdotes facti cœleſte ſanctuarium liberè ingrediamur,ad nos noſtraq́ue omnia Deo offerenda; & grata ſint ac boni odoris in conſpectu Dei, quæ à nobis proueniunt ſacrificia precum & laudis.Denique Papiſtas in hoc caput doctrinæ peccare, qui in Miſſis ſuis Chriſtum ſe immolare iactitant.

CAP. XVI.

Quomodo redemptoris partes impleuerit Chriſtus, vt nobis ſalutem acquireret: vbi de morte, & reſurrectione eius agitur, & in cœlum aſcenſu.

Huius capitis quatuor præcipua ſunt partes nam primò de re tota in genere agit, & quæſtionem valdè affinem diſcutit à 1-4. Deinde ſigillatim oſtendit,quomodo redemptoris partes Chriſtus impleuerit 5-18. ter-

tiò, quoniam bonam partem symboli ea occasione enarrauit, quid sit de eo sentiendum exponit 18. postremò conclusionem subiungit. 19.

ADEO solidam in Christo salutem nobis proponi, vt quicquid nobis ad eam conquerendam necessarium sit, in ipso abundè reperiamus.

2 Hic igitur in primis videndum esse, quo sensu accipiendum sit, Deum nobis inimicum fuisse, donec per Christum nobis reconciliatus est: quum tamen & misericordia eius præuenire, & Christum gratis dare nō detrectaret, quæ manifesta amoris signa censeri debeant. eiusmodi scilicet locutiones ad sensum nostrum accommodatas esse, vt meliùs intelligamus, quàm misera sit & calamitosa extra Christum nostra conditio.

3 Nec tamen id falsò dictum esse: sed Deum, pro iusti iudicis officio & natura, in nobis reperire, quod infestissimo odio prosequatur, donec reatus per Christum aboleatur: vtcunque pro bonitate sua, quod suum est, interim diligat.

4 Id ex Scripturis, & Augustino confirmat.

Secundam partem capitis ingressus primùm, de morte eius 5-7: deinde, de descensu ad inferos, 8-12: tertiò, de resurrectione 13: quartò, de ascensione in cœlum, & sessione ad dextram Patris 14-16: postremò, de reditu eius ad iudicium 17 & 18.

5 Quod ad mortem Christi attinet, in ea præcipuè redemptionis nostræ opus elucere contendit, vtcunque toto vitæ suæ decursu id ipsum præstiterit. in ea quoque primùm locum tenere voluntariam subiectionem: quæ tamen & ipsa non prorsus vacua erat omni certamine. quemadmodū in actione, duo præcipuè consideranda inducit: primùm, quòd veluti reus condēnatus sit (personam scilicet nostram sustinens) deinde, quòd nihilominus iudicis ore sit absolutus: quò magis perspicuum foret, non proprio, sed nostro scelere grauatum fuisse.

6 Ipsam mortis speciē non carere insigni mysterio: quandoquidem quū sit & ipsa maledicta, & maledictionis symbolū, manifestò innuit, nos quorū gratia maledictione

ctionẽ ſubijt, à maledictione Legis abſolutos eſſe. eum verò ita maledictionem ſubijſſe, vt non obrueretur ea: quin ſubeundo potius ita vim eius vniuerſam diſſipauerit, vt fides noſtra, in Chriſti damnatione abſolutionẽ, in maledictione benedictionem comprehendat: quia ſcilicet in hac ſua morte, & ſacrificium pro peccatis, & ablutionem à ſordibus per ſanguinis effuſionem habeamus.

7 Se quoque in mortis poteſtatem loco noſtro tradidiſſe, vt ea proſtrata, duplex inde fructus ad nos emanaret: nempe, vt à morte nos liberaret, & participatione ſui veterem noſtrum hominem enecaret.

8 Articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos, non protinus, ſed ſenſim eccleſijs inſueuiſſe: neque tamen cum nonnullis, aut penitus repudiandum, aut quod alij volunt, cum ſuperiore articulo confundendum.

9 Eos ſimiliter decipi, qui interpretantur, Chriſtum nihil quàm deſcendiſſe ad animas Patrum in Limbo incluſas. Limbum verò nihil quàm fabulam eſſe: nihilque pro eo facere tres illos Scripturæ locos (de portis æreis & vectibus ferreis confractis ex Pſal. 107. 16: de vinctis è puteo, in quo non erat aqua, liberatis, ex Zac. 9. 11. & de Chriſti prędicatione ad ſpiritus qui in ſpecula erãt, ex 1. Pet. 3. 19.) qui pro eo ſtabiliẽdo ab imperitis adduci ſolẽt.

10. 11. Certum & genuinum ſenſum eſſe, quòd ſceleratorum loco, cum inferorum copijs, æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus luctaretur, & diuinę ſeueritatis grauitatem, omniaque irati & punientis Dei ſigna expertus, diros in anima cruciatus damnati & perditi hominis, eamque mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur: vno hoc duntaxat excepto, quòd ab ijs doloribus non poterat teneri. id confirmat & Scripturæ, & veterum teſtimonio.

12 Hanc expoſitionem munit cõtra eos, qui malitioſè clamitant, hoc pacto non tantùm affectus incompoſitos & admodum turbatos, ſed ipſam quoque deſperatio-

nẽ Filio Dei adscribi: ostendens, Christũ sic esse per omnia tentatũ sicut nos, vt tamẽ nec inuitus hæc perferret, nec peccaret vnquam, nec vlla intemperie laberetur.

13 Ad resurrectionẽ veniens, mutilũ esse contẽdit, quicquid de morte habemus nisi resurrectionis doctrina accedat: quanuis aliquoties salus nostra morti suæ tantũ adscribatur, & econtrà. proinde, quoties solius mortis fit mentio, simul cõprehendi, quod propriũ est resurrectionis: parem quoque synecdochen esse in voce resurrectionis, quoties seorsim à morte ponitur. Eius denique fructum triplicẽ esse: quòd, & iustitiam nobis acquisiuit coram Deo; & eius vita iam nunc regeneremur in vitæ nouitatem; & nobis pignus sit resurrectionis futuræ.

14 Quod ad ascensionem in cælum attinet, ea demum se verè suum regnum auspicatum esse: quum & maiorem Spiritus sui abundãtiam effuderit, & maiorem potentiam, cùm in adiuuandis suis, tum in hostibus deijciendis extulerit, postquã terris relictis in cælum ascendisset. sic tamen secundum corporis præsentiam nunc abesse, vt secũdum maiestatem vbique præsens præsentiore virtute & cælum, & terram regat.

15 Hinc esse quod mox subijcitur, consedisse ad Patris dextram, similitudine à principibus mutuata: qua nõ tantùm beatitudo eius notatur; sed multò magis, eas regendi imperandique vices ei demandatas esse, vt eius maiestatem tum cæleſtes, tum terrenæ creaturæ suspiciant, manu eius regãtur, nutum intueantur, virtuti subiectæ sint. Nihilque obstare, quòd Stephanus eum stantem se vidisse testetur

16 Hinc fidem nostram triplicem fructũ colligere: primùm, Dominum suo in cælum ascensu, aditum regni cæleſtis, qui per Adam præclusus fuerat, aperuisse: deinde, quòd apud Patrem resideat patronus, interceſſor, aduocatus, &c: denique, quòd transfusa inde ad nos sua virtute multa præclarè in nobis operetur.

17 Quod

17 Quod ad Christi reditum, ad iudicandos viuos & mortuos, spectat, primò doctrinam ipsam breuiter exponit: deinde ostendit quo sensu viui dicuntur, qui illo die superstites erunt; quòd ex veteribus quidam in illius particulæ expositione hæsitarint.

18 Quàm egregia consolatio nobis inde oriatur, quòd penes eum iudiciũ esse audimus, qui nobis clemẽtissimus princeps, caput, & patronus futurus est. Quid de hoc Symbolo Apostolico sentiendum sit. Ibid.

19 Ex his quæ dicta sunt, manifestum esse, totam salutis nostræ summã, ac singulas etiam partes in Christo comprehensas esse: eoq; magis cauendum esse, ne minimam particulã aliò deriuemus: idque esse à recta via deflectere, si aliquam cogitationis nostræ partem aliò flectamus, etiamsi illum præcipuè respiciamus.

CAP. XVII.

Rectè & propriè dici Christum, nobis promeritum esse gratiam Dei & salutem.

CHRISTVM non instrumentum duntaxat esse, vel ministrum salutis; sed authorem & principem. neq; ita loquẽdo obscurari Dei gratiam; quia meritũ Christi non opponitur misericordiæ Dei, sed ab ea dependet, vt vtrunque rectè consistere possit: quippe quæ, subalterna quum sint, pugnare nequeant.

2 Hæc duo (nempe, & Dei gratiam, & Christi meritum) rectè consistere posse, probatur diuersis Scripturæ locis, qui vtrunque simul cõnectunt: atq; ita quidem, vt concedant Christum aliquid de suo largiri, quia seorsum à Patre adscribitur ei hæc laus; quòd gratia eius sit, & ab ipso proueniat.

3 Quod ad caput causæ attinet, quibusdam Scripturæ testimonijs probat, Christum, sua obediẽtia verè nobis gratiam apud Patrem promeritum esse.

4 Quoque magis hoc ipsum illustret, ostendit id

nobis contingere per Christi mortem, aut sanguinis sui effusionem.

5 Atque ita quidem, vt ipse non quasi gratis impetrauerit, sed pretium persoluerit, quo nos à reatu mortis redimeret.

6 Stultam esse curiositatem cum Scholasticis quærere, an sibi ipse meruerit Christus: temeritatem verò asserere, cum nec opus esset, vt sibi studeret; nec Scripturæ sibi, sed nobis datum esse doceant.

Liber tertius.

De modo percipiendæ Christi gratiæ, & qui inde fructus nobis proueniant, & qui effectus consequantur.

ARGVMENTVM.

PRæcipui loci, quos hoc libro pertractat, septem sunt: qui tamen omnes quodammodo, maxima verò pars dilucidè, ad fidei tractationem spectant. Ac primùm ostendit, quî factum sit, vt nobis prosint quæ de Christo dicta sunt: nempe, non marte nostro; sed arcana, & speciali operatione Spiritus, cap. 1. Deinde quoniã Spiritus in nobis hoc tantum bonum non alia ratione, quàm fide operatur, iustam fidei tractationem subiungit, 2. Tertiò, quò fides istæc salutaris melius innoteſcat, ostensurus qui inde fructus necessariò proueniant, cõtendit veram pœnitentiam ab ea semper promanare, ac de ea pluribus disserit, 3-10. Primùm in

in genere de Pœnitentia agens, 3. deinde de pœnitentia Papistica, eaq; occasione de Contritione, Confessione, & Satisfactione, 4. de Indulgentijs similiter, & Purgatorio, 5. Postremò, vt de Pœnitentia vera speciatim agat, hoc est, de duabus eiusdem partibus, Mortificatione carnis, & Viuificatione Spiritus, ad vitam hominis Christiani descendit, quæ vtraque earum consistat, 6-10. Quartò, quò clarius ostendat quæ sit fidei huius vtilitas, & qui effectus consequantur, primùm de iustificatione fidei agit, 11-18. deinde de libertate Christiana, quæ veluti iustificationis appendix est, 19. Quintò, ad orationem descendit, quòd ea sit, & præcipuum fidei exercitium, ac veluti medium vel instrumentum, quò Dei beneficia quotidie percipimus, 20. Sextò, quoniam antè dixerat, (nempe, cap. 1.) non omnes promiscuè amplecti Christi communicationem quæ per Euangelium offeratur; sed eos tantùm, quos Spiritus sui efficacia, & speciali gratia dignatus est Deus, ne cui absurdum hoc videatur, specialem de æterna Dei Electione tractationem subnectit, 21-24. Postremò, quoniam molestum nobis multis modis esse potest, sub hac dura militia exerceri, quæ vitam hominis Christiani semper comitatur, contendit eam leniri posse Resurrectionis meditatione, ob eamq; causam de ea quoque tractationem subiungit, cap. 25.

CAP. I.

Quæ de Christo dicta sunt, nobis prodesse arcana operatione Spiritus.

VTCVNQVE Pater vnigenito suo Filio, ea quæ suprà diximus contulit dona, non in priuatum vsum, sed vt nos inopes egenosque locupletaret, minimè tamen ea ad nos pertinere, donec cum ipso in vnum coalescimus. quod etsi fide consequamur, quando tamen videmus non omnes promiscuè amplecti Christi cõmunicationem quæ per

Euangelium offertur, altiùs aliquanto conſcendendum eſſe, ſimulque fatendum, arcana, & ſpeciali illa quidem, Spiritus efficacia fieri, vt Chriſto, boniſque eius omnibus fruamur.

2 Hinc quoque eſſe, quòd Chriſtus peculiari modo Spiritu ſancto inſtructus venerit: nempe, non tantùm vt generali ſua virtute nos vegetaret & foueret, ſed multò magis, vt à mundo nos ſegregaret, cœleſtem vitam in nobis formaret, & in ſpem colligeret æternæ hæreditatis: idque eum facere, non quatenus eſt æternus Sermo, ſed ſecundum Mediatoris quoque perſonam.

3 Quod ea ſit Spiritus ſancti in nobis efficacia, vel ipſa elogia, quibus inſignitus prodit, liquidò probare: quippe qui dicatur Spiritus adoptionis, arrhabo, & ſigillum hæreditatis, aqua, oleum, & vnctio, ignis, fons, & Dei manus quæ omnia clarè docent, nos membra eius effici Spiritus gratia & virtute: eoque tantum modo illum efficere, vt nos ſub ſe contineat, viciſſimque illum poſſideamus.

4 Ad fidei verò tractationem properans, hoc pacto ſibi viam munit. Fidem præcipuum eſſe Spiritus ſancti opus: ideoque ad eam magna ex parte referri, quæ ad vim eius & operationem exprimendam paſſim occurrunt. Id multis probat, priuſquam ſequenti capite de Fide agit.

CAP. II.

De Fide: vbi & definitio eius ponitur, & explicantur quæ habet propria.

Huius capitis tres præcipuæ ſunt partes. Primò etenim breuiter quædam perſtringit, quæ alioqui fidei tractationem impedirent, 1-13. qua ratione primum de Fidei obiecto, 1. deinde de Fide implicita (quæ etiam occaſione definitionem Fidei ponit) 2-7. tertiò de fide infirmi vel reproborum

reproborum 8-12. postremò de varia significatione verbi agit, 13. Deinde, vt omnibus constet, quid sit fides de qua agitur, definitionem, quam supra posuit, membratim explicat 14-40. Postremò Apostoli authoritate suam definitionem breuiter confirmat: eaq; occasione contra Scholasticos ostendit, quam relationem ad se inuicem habent, Fides, Spes, & Charitas. 41-43.

PRIMVM quod ad fidei obiectum attinet, Scholasticos perperam omisso Christo, Deum facere fidei obiectum: quum Scriptura doceat inuisibilem Patrem non aliter quàm in Christo, veluti propria sua imagine, quærendum esse.

2 Deinde quod ad commentum de fide implicita spectat, hoc est, sensus nostros obedienter Ecclesiæ submittere, paratosque esse pro vero amplecti, quicquid Ecclesia præscripserit, inquirendi, cognoscendique prouinciam ad ipsam relegantes, eam verò nullam esse fidem: quippe quæ non in ignoratione, sed in cognitione sita est, atque illa quidem non Dei modo, sed etiam diuinæ voluntatis.

3 Vtcunque plurima nobis (qua sumus ignorantia circumsepti) in hac mortali vita implicita sint, tamẽ hoc prætextu ignorãtiam humilitate temperatam, fidei nomine insignire, absurdissimũ esse: quæ quidem in Dei & Christi cognitione, non in Ecclesiæ reuerentia iacet.

4 Nostram quoque fidem (quandiu in hoc mundo peregrinamur) implicitam esse, non solùm quia multa latent: sed etiam quia in multis, varijs erroribus circumagimur.

5 Fidem quoque implicitam dici posse quæ tamen propriè nihil aliud est, quàm fidei præparatio. de qua re duo exempla inducit: vnum de regulo Ioan. 4. 50. alterũ de Samaritanis Ib. 39. deinde concludit, eiusmodi docilitatem, cum proficiendi desiderio, longè distare à crassa Papistarum ignorantia.

6 Eiusmodi esse Verbi relationem ad fidem, vt verbum sit fons & basis fidei, & veluti speculum in quo

intueatur Deum: Denique, vt absque verbi cognitione, nulla possit esse fides.

7 Neque tamen fidem verbo Dei quolibet niti (licet veritati Dei in omnibus subscribat) nec tam voluntatem eius qualemcunque respicere, quàm beneuolentiam seu misericordiam: eam tamen, quæ ipsius voce oblata, & cum sua voluntate & veritate coniuncta, dubitationem omnem facilè excludit. Fidem igitur esse, diuinæ erga nos beneuolétiæ, firmam certamque cognitionem quæ gratuitæ, in Christo, promissionis veritate fundata; per Spiritum sanctum, & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.

Fides.

8 Iam quod ad fidem eorum informem attinet, hoc est, eiusmodi assensum, quo quilibet Dei contemptor recipit quod ex Scriptura profertur, etsi nulla ad assensum illum piæ affectionis accessio facta est, vanum esse commentum: quandoquidem vnus idemque Spiritus, quoscunque facit in fidei certitudine acquiescere, eos etiam omnes sanctificatione sua imbuat: adeò vt fides à pio affectu, nullo modo sit distrahenda.

9 Locum Pauli 1. Cor. 13. 2. quo suam inscitiam tueri solent, illis è manibus excutit. Deinde veluti digito commonstrat, quid sit quod illos in errorem impellat. nempe, quòd quum fidei vocabulum multa significet, illi non animaduersa significati diuersitate perinde pugnãt, ac si eadem vbique foret acceptio. Se etiam docendi causa libenter concedere plures esse fidei formas, præter vnicam illam piorum: duo scilicet genera hominum esse posse, quibus fidei testimonium abusiuè tribuitur: alterum eorum, qui nihil quàm Christianam religionem agnoscunt: alterum eorum qui eò etiam procedunt, vt nonnulla eius reuerentia tangantur.

10 Eiusmodi impiorum persuasionem fidei potiùs vmbram vel imaginem esse quàm ipsam fidem: multum siquidem à solida fidei veritate abesse, vtcunque igitur eius-

eiuſmodi perſuaſio non tantùm alios, ſed & ſeipſos quãdoque fallat, eam tamen cum diabolis poſteriores iſtos communem, priores illos inferiorem habere.

11 Nec durum videri debere, ſi eiuſmodi fides reprobis tribuatur: cum experientia doceat, illos interdum ſimili ferè ſenſu, atque electos affici; vt ne ſuo quidem iudicio quicquam ab electis differant: quum tamen longè diſtet à peculiari teſtimonio quod Spiritus reddit electis. illorum quippe ſenſum caducum, & euanidum eſſe, electorum verò non item.

12 Temporarios & reprobos quoniam non in voluntate & veritate Dei, ſed in euanido ſenſu ſubſidunt; & non penitus imbuuntur, ſed tantùm leuiter tinguntur Euangelij notitia, non alia fide, vel luce aſpergi, quàm quę poſtea diſpereat: electos verò ſua fide nũquam priuari, quãtumuis exigua & debilis ſit. Reprobos quoque adeo interdum affici diuinæ gratiæ ſenſu, vt quoddam mutui amoris deſiderium in eorum cordibus excitatum habeant: eos tamen non ſolidè redamare vt filios, ſed mercenario quodam affectu duci: ita vero vt fidem non ſimulent, qui tamen vera fide carent; dum ſubito zeli impetu acti, & ſocordia occupati ſeipſos falſa opinione decipiunt. Alios vero eſſe, quos non pudet Deo & hominibus illudere, dum mendaciter ſimulant ſe fidem habere, à qua ipſi norunt ſe procul abeſſe.

13 Quod vero ad vocis ſignificationem attinet, eam variam & multiplicem eſſe. Fidei enim nomine inſigniri interdum, ſanam pietatis doctrinam, interdum particularem illam, quæ ad particulare aliquod obiectum reſtringitur, interdum donum miraculorum, interdum miniſterium, vel doctrinam qua in fide inſtituimur.

Nunc ad definitionem veniens, & ſingulas eius partes explicaturus, ſex præcipua membra ſibi explicanda ſeligit: quorum primo 14. ſecũdo 15-27. tertio 28 quarto 29-31. quinto 32. vltimo 33-40. ſectiones deſignat.

14 Quodque ad primum attinet, oſtendit qualis ſit

cognitio, quam ipse in sua definitione requirit: nempe, non qualis esse soleat rerum humanarum, sed modis omnibus infinitam, & omni alia intelligentia longè sublimiorem: idque diuinæ veritatis persuasione magis, quàm rationali demonstratione.

15 *Certam* & *firmam* addi, quò solidior persuasionis constantia exprimatur. vtque eo pacto excludatur, ex vna parte dubia & versatilis opinio; ex altera obscura perplexaque conceptio. nos enim natura admodum propensos esse in hæsitationem & incredulitatem, vt quod ore fatemur omnes, Deum esse fidelem, non absque arduo certamine quisquam sibi persuadeat: præsertim, quum singulis de seipsis quæstio est.

16 Præcipuum fidei cardinem in hoc verti, ne quas Dominus offert misericordiæ promissiones, extra nos tantùm veras esse arbitremur, in nobis minimè: sed, vt potius eas intus complectendo nostras faciamus. nec alios verè fideles esse, quàm qui eousque confidentiæ conscendunt.

17 Diluit obiectionem, quòd fideles scilicet longè aliud experiũtur, nõ modò inquietudine tentati, sed grauissimis etiam terroribus nonnunquã propemodũ consternati. se verò non eiusmodi securitatem statuere, quæ nulla solicitudine impetatur: quin potius fateri, perpetuũ esse fidelibus certamẽ cũ sua ipsorum diffidentia. sic tamẽ, vt non deficiant, aut terga vertant: sed certamen suum semper persequantur, & tandem superiores euadãt.

18 Hoc de quo loquitur certamen ex carnis & Spiritus contrarietate oriri: sic tamen nos fluctuare, vt concutiamur licet, nunquam tamen de gradu deturbemur.

19 Duplici similitudine ostendit, fidem nostram, etsi nõ admodũ perfectam, indubitatã tamen & certam esse.

20 Et, vtrunque rectè consistere posse.

21 Fideles, quotiescunque formidine cõcutiuntur, ita verbo Dei niti, & in Dei sinum se recipere, vt ne persequen-

ſequentem Deum fugiant,ſed in eum ſperent.nec intus, in cordibus piorum, regnare incredulitatem; ſed foris oppugnare: nec lethaliter vulnerare ſuis telis, ſed infeſtare, aut certè ſic lædere,vt vulnus ſit ſanabile.

22 Alteram timoris ſpeciem,quem fideles,ex vltionis diuinæ exemplis aduerſus impios editis, ſibi adſciſcunt, nihil minuere fidei ſuæ ſecuritatem, ſed eam magis ſtabilire.eoſque huiuſmodi exempla coram oculis ſuis ponere, non vt conſcientias ſuas terrore percellant, ne plena ſecuritate in Dei miſericordia acquieſcant:ſed vt temeritatem quæ ex carnis reliquijs, vel ſanctiſſimis quibuſque interdum obrepit, diligentiùs reprimant, ne inani confidentia laſciuiant.

23 Nec obſtare, quòd iubeamur cum timore & tremore operari ſalutem noſtram:quum nihil aliud à nobis exigit, niſi vt Domini virtutem, cum multa noſtri deiectione, ſuſpicere aſſueſcamus, nihilque obſtare, quin ſimul & terreantur fideles, vt ſecuriſſima cõſolatione potiantur, provt nunc in ſuam vanitatem oculos conuertant, nunc in Dei veritatem animi cogitationes referũt: ſicuti ex oppoſito,& torpor,& anxietas in reprobis ſimul locum habent.

24 Sic tamen illis locũ non dari,qui vtcunque concedunt,quoties in Chriſtum reſpicimus,plenam habere bene ſperandi materiam, noſtræ tamen indignitatis intuitu nos fluctuari & hæſitare volunt. illos ſiquidem conſcientiam ſic ſtatuere inter ſpem & metum, vt per interualla & vices huc illuc alternet, fiducia ſubinde deſperationi cedente. At verò certum eſſe, ſua dignitate Chriſtum perfeciſſe, vt indignitas noſtra nunquam in conſpectum Dei veniat.ideoque ex noſtra indignitate, nullam deſperationem aut etiam hæſitationem oriri poſſe,vt vnquam in animis fidelium primas teneat.

25 Id Bernardi teſtimonio confirmat.

26 Hũc etiam timorem ex genuino ſenſu emanare:

quum ſcilicet Deum, vt Patrem honorare vel reuereri, vt Dominum timere doceamur.

27 Quod Ioannes dicat timorem non eſſe in charitate &c. nihil contra iſta facere: quippe qui non de voluntario, aut filiali, ſed de coacto & ſeruili differat. incredulos enim non Dei offenſionem, ſed vindictam timere: atque id quidem acſi ſingulis momentis ceruicibus ſuis impenderet. fideles verò non tam pœnam, quàm offenſam timere: nec id quidem, acſi ſupplicium aliquod ipſis immineret, ſed cauere, ne ipſam accerſant.

28 Abſoluto ſecundo definitionis membro ad tertium venit, nempe ad id quod dixerat fidem reſpicere *Diuinam beneuolentiam.* qua voce deſignare ſe interpretatur quicquid ad plenam felicitatem attinet: quandoquidem Scripturæ in hoc vno, beatitudinis noſtræ ſummã ſtatuunt, quòd Deus abolitis inimicitijs omnibus, in gratiam nos recepit. Gratiam igitur Dei ſcaturiginem eſſe omnium bonorum, tam ad hanc vitam, quàm ad futuram pertinẽtium. eaque fieri in hanc vita, vt non tantùm proſpera, ſed aduerſa quoque beata ſint, quia vertantur in ſalutis adiumenta.

29 Quartum membrum poſuit *Gratuitam promiſſionem:* eam nuncupans fidei fundamentum. cuius rei cauſam nunc reddit: nempe, quia fides, etſi Dei Verbum omni ex parte amplectatur, proprie tamen à promiſſione incipit, in ipſa conſtat, in ipſam deſinit: eoque ſenſu, non Legem; ſed Euãgeliũ, appellari ab Apoſtolo verbũ fidei.

30 Neque tamen hac reſtrictione fidem lacerari, & vnum tantùm fruſtum arripi (vt quidam calumniantur) quandoquidem conceditur, fidem habere reſpectum ad omnes verbi Dei partes, nec aliud quàm hæc duo indicare propoſitum eſt: fidem nunquam conſiſtere, donec ad gratuitam promiſſionem peruenerit; &, non aliter nos Deo per ipſam reconciliari, niſi quia Chriſto, gratis ſalutem offerenti nos copulat.

31 Hinc

31 Hinc colligi posse, non minus verbo opus habere fidem; quam fructum viua radice arboris. neque tamen interea potentiam Dei excludi; sed eius in hac causa intuitum maximè necessarium esse: non autem otiosam, sed effectualem potẽtiam concipiendam esse. postremò cauendum, ne transgrediamur verbi fines, ne fidei zelus vltra metas in vitium aliquod impellat, vt Saram, Rebeccam, & Isaacum.[a] eiusmodi autẽ defectum vel imbecillitatem, fidem obscurare, non autem extinguere: interim tamen nos admonere, ne tantillum à verbo recedamus.

a Non video cur non Iacobus etiam istis annumerari possit. de quo vide lib. 2. ca. 10. sect. 14.

32 Quintum membrum esse, quòd in *Christo* promissiones omnes concluserit. id hoc pacto probat, Nullam esse promissionem nisi quæ ex dilectione proueniat: nullam autem esse dilectionem, nisi in Christo: ergo nec vllam promissionem nisi in ipso. Maiorem munit aduersus duo obiecta: prius, Nec refert &c. posterius, Nihilo magis &c. Minorem primùm confirmat diuersis Scripturæ testimonijs: deinde etiam munit aduersus exempla quædam quæ obijci possent.

33 Sextum & vltimum membrum esse, quòd fides non alia ratione quàm per *Spiritum sanctum*, & reueletur mentibus nostris, & cordibus obsignetur. quum verò hoc membrum sit bipartitum, hoc loco vtrunque ostendit: vtroque scilicet modo fidem singulare Dei donum esse, & quòd mens hominis ad gustandam Dei veritatem purgatur: & quòd animus in ea stabilitur. Spiritum quoque, non tantùm inchoatorem fidei esse, sed per omnes & singulos gradus eam augere, donec ea nos in regnum cæleste perducat.

34 Prius membrum primùm rationibus & testimonijs probat; deinde exemplis quibusdam, & similitudine de sole illustrat.

35 Propterea fidem dici spiritum fidei, opus, & bene placitum Dei: & esse specimen virtutis diuinæ. Deum etiam, quo magis in tam præclaro dono suam liberalitatẽ

illustret,non omnes ea promiscuè dignari, sed singulari priuilegio impertire quibus vult: ex Augustino.

36 Posterius membrum aggressus,confirmationem eius deducit à priore,tanquam à minore ad maius:quòd scilicet maior sit cordis diffidentia, quàm cęcitas mẽtis, & longè difficilius animam securitate instrui, quàm mẽtem cognitione imbui. Spiritum quoque ob hanc causam dici sigillum,arrham,& Spiritum promissionis.

37 Sic tamen Spiritum non obfirmare animos fidelium,quin,vt antè explicatum est,interdum agitentur:eos tamen firmiter stare.

38 Hinc liquere, quàm sit pernicioſum dogma illud Scholasticum,nos de gratia Dei non aliter statuere posse,quàm ex coniectura morali. fidei enim nihil esse magis aduersum,quàm vel coniecturam, vel aliud quippiam dubitationi affine. ac pessimè huc detorqueri Ecclesiastæ testimonium.cap.9.1.

39 Quod obijciunt, temerariæ præsumptionis esse, indubitatam voluntatis diuinæ notitiam profiteri, aut etiam illud, Christi Spiritu nos præditos esse, ac proinde modestiæ & humilitatis causa, in asserenda hac certitudine magis dubios esse volunt, validis Scripturæ testimonijs expugnat, & egregia antithesi istorum & Pauli illustrat.

40 Tum etiam & illud diluit quod obijciunt,Etiamsi secundùm presentem iustitię statum, de gratia Dei iudicium sumere liceat, manere tamen in suspenso finalis perseuerantiæ notitiam,maximè,cùm Apostolus nostræ imbecillitatis & inconstantiæ mentione,nos deterreat.

41 Definitione sua ad hunc modum explicata, id nunc agit,vt ostendat eam non pugnare, sed optimè cõuenire cum illa quam Apostolus tradit Heb.11.1. quam dum explicat,hoc simul ostendit,fidem firmissimam esse possessionem eorum, quæ nobis à Domino promissa sunt (quod superiori argumento pulchrè quadrat.) Deinde

inde etiam merum esse deliramentum quòd Scholastici tradunt, Charitatem, fide, ac spe priorem esse.

42 Fieri tamen non posse, quin viua hæc fides, spem æternæ salutis, comitẽ secum habeat indiuiduam. multis quoq; modis necessaria esse spei subsidia ad fidẽ stabilendã ostenditur ex variis quibusdam tentationũ formis.

43 Propter coniunctionem & affinitatem, quam fides & spes inter se habent, Scripturam interdum Fidei & Spei vocabula confundere. Petrum quoque Lombardũ insulsè duplex Spei fundamentum iecisse, nempe, Dei gratiam, & operum meritum.

CAP. III.

Fide nos regenerari: vbi de Pœnitentia.

Etsi titulus videatur aliquam de fide tractationem polliceri, tamen de Pœnitentia tantùm agit, quæ veram fidem semper comitatur. Ac caput ipsum in quinque partes, meo quidem iudicio, commodissimè distribui poterit. Nam primò, quasdam aliorum opiniones de Pœnitentia refert 1-4. Deinde, quid suo iudicio sit de ea statuendum ostendit 5-9. Tertiò, causam assignat, quare in vltimum vsque vitæ terminum (quod in explicanda sua definitione asseruit) eam extendi velit 10-14. Quartò, fructus pœnitentiæ, vel quorsum, & in quem finem tendit, explicat 15-20. Postremò, vnde nobis proueniat, 21-25.

QVOD ad primum attinet, tria sunt quæ ex aliorum sententia hoc loco enumerat: vtra prior sit, fidésne an pœnitentia, quot partibus constet, & quotuplex sit. Neminem habere fidem, qui totum suum studium non applicet ad pœnitentiæ meditationem: illos tamen omnes decipi, quibus videtur, fidem potiùs præcedere pœnitentia, quàm ab ipsa manare.

2 Quam nihili sit eorum ratio qui ita senserint. non tamen fidem tempore priorem esse pœnitentia: &, vnde occasionem errandi sumpserint. Anabaptistas & Iesuitas pessimè delirare, qui certos dies pœnitentiæ præscribũt, priusquam in communionem gratiæ suos recipiant.

3 Qui duabus partibus pœnitẽtiam constare docti-

erunt (Mortificatione, & Viuificatione) posteriorem partem perperam interpretatos esse, dum consolationem dixerunt, quod studium potiùs rectè viuendi significet.

4 Alios duas pœnitentiæ formas posuisse: vnam Legalem, alteram Euangelicam. vbi etiam exẽpla quædam de singulis proponuntur.

5 Ad suam sententiam explicandam veniens, primùm contendit pœnitentiam & fidem, etsi separari non possint, deberi tamen sic distingui, vt nullo modo fides sub pœnitentia ponatur. Deinde etymologia vocis explicata, rei quoque ipsius veram definitionem subiungit: esse scilicet ad Deum veram vitę nostræ conuersionem; à syncero, serioque Dei timore profectam; quæ carnis nostræ veterisque hominis mortificatione, & spiritus viuificatione constet. *Pœnitentia.*

6 Suam definitionem tribus partibus constare: primam, quòd velit esse *Conuersionem.* eam non in externis tantùm operibus, sed in transformatione ipsius animæ sitam esse.

7 Secundam, quòd ex serio Dei *Timore* proficisci debeat. eumque timorem partim diuini iudicij commemoratione, partim punitionibus iam irrogatis, in animis nostris excitari. alioqui eam esse cordis nostri contumaciam, vt nisi minis veluti malleis contunderetur, nunquam corrigeretur carnis nostræ pigrities.

8 Tertiam duabus partibus consistere, *Mortificatione, & Viuificatione.* quæ ambo sigillatim explicantur.

9 Vtrunque ex Christi participatione nobis contingere. itaq; vno verbo non aliud esse pœnitentiam, quàm reformationem imaginis Dei in nobis: nec eam breui aliquo momento absolui, sed in vltimum vsque vitæ terminum extendi.

10 Quod verò in vltimum cuiusque vitæ terminum extendi velit, ideò esse, quòd semper in renatis maneat mali

mali fomes,& certaminis materia. cum fomitem Augustinum non peccatum, sed infirmitatem vt plurimũ appellasse: quum tamen & ipse peccatum sit, & eo nomine interdum ab Augustino vocetur.

11 Nec obstare,quòd Deus Ecclesiam suam purgare ab omni peccato dicitur.id enim referri potiùs ad reatum debere, quàm ad ipsam peccati materiam: quantuis & ipsum peccatum semper nobiscum habitans, regnare tamen desinat. quòd autem adhuc reliquiæ quædam renatis supersint, eosque summopere infestent, id manifestum ex Paulo esse.

12 Ita verò in vniuersum damnari cupiditates omnes quibus homo naturaliter afficitur,vt excipiãtur quæ hominis ingenio Deus sic à prima creatione insculpsit, vt inde eradicari nisi cum ipsa humanitate non possint: & non nisi insolentes effræneśque, qui cum ordinatione Dei pugnant,hoc anathemate feriantur, & licet omnes vitiosæ sint propter naturæ prauitatem,non tamen,quatenus sunt naturales,damnari,sed quatenus sunt inordinatæ.Augustinum eiusdem esse sententiæ.

13 Eum ita sensisse ostenditur multis testimonijs ex operibus eius desumptis, quod ex Iacobo contrà obijciunt,infirmum esse.

14 Contra Anabaptistas, qui regeneratos nolunt solicitos esse de libidine carnis refrænanda: quasi postquam Spiritum Dei receperint, nunquam denuò peccare possint.

15 De fructibus,qui pœnitentiam consequi debeãt, iam dicturus, orditur ab ijs quos Apostolus 2.Cor.7.11. describit: interim tamen in ambiguo seruans,vtrũ causę, an effectus,an partes, an affectiones aptius censeri debeant: esse tamen omnia apprimè cognitu necessaria. quodque ad tristitiam attinet,suadet modum tenendum esse,ne eiusmodi tristitia & displicentia nostri nos absorbeat,idque sanctissimo Bernardi consilio.

15 Hinc liquere, qui sint veri pœnitentiæ fructus: nam quod ad externa testimonia attinet, licet pœnitentiam semper subsequantur (cuiusmodi sunt in squalore, gemitu, & lachrymis esse) cauendum tamen, ne vim pœnitentiæ in illis reponamus; néve cum veteribus, aut immodicis elogijs ea ornemus, aut in ijs exigendis rigidiores simus, quàm Ecclesiastica mansuetudo ferat.

17 Non fletum, ieiunium, & cinerem à Ioele commemorata præcipuam resipiscentiæ partem esse; sed cordis ad Deum conuersionem. istorum tamen aliquem & eo tempore vsum fuisse, & nunc esse posse, eumque minimè contemnendum.

18 Nomen pœnitentiæ ad hanc externam professionem impropriè transferri: quippe quæ culpæ potiùs confessio cum pœnæ reatusq; deprecatione, dici debeat. hanc tamen externam professionem pium exercitium esse, tam publicam, quàm priuatam: publicam non semper necessariam esse; priuatim verò Deo confiteri, omnibus semper necessarium, non tantùm recens admissa, sed & præterita. hanc verò ordinariam pœnitentiam aliam esse ab ea, quæ specialiter ab illis qui grauiùs lapsi sunt exigitur.

19 Finem pœnitentiæ esse, vt corruptis & vitiosis affectibus superatis, sanctificatione Spiritus in veram iustitiam instauremur, ex Ioannis, Christi, & Apostolorum prædicationis forma ostenditur.

20 Quia Deus vbicũque peccatorum remissionem offert, resipiscentiã vicissim stipulari ferè solet (innuens, suam misericordiam resipiscendi causam hominibus esse debere: non econtrà, nostram resipiscentiam esse emerendæ veniæ fundamẽtum) totam vitam hominis Christiani oportere esse perpetuum studium, & exercitationem mortificãdæ carnis, donec ea subacta, Spiritus Dei regnum in nobis obtineat.

21 Vt vltimò doceat vnde sit pœnitentia, contendit,

dit,non esse ex nostro marte, sed singulare donum Dei: illos solummodo hac donatos, quos eripere vult Deus ab interitu.quemadmodum igitur pœnitentia salutis est signum, ita & obduratio reprobationis: vt ex Isaia, & apostolo apparet.hunc tamen apostoli locum (Heb.6.6.) quum voluntarijs tantùm apostatis remissionem neget, nihil pro Nouatianis facere.

22 Hac occasione ostendit quod sit illud tam horrendum flagitium,peccatum scilicet in Spiritum sanctũ, quod nullam remissionem habiturum est. Veram definitionem eius afferens, eandemque ex Scripturis probans & illustrans.

23 Quò verò meliùs locum ipsum interpretetur,ostendit eum non de particulari vno lapsu vel altero, sed de vniuersali defectione loqui, qua se reprobi à salute abdicant. Nouatianosque decipi in paralogismo vocis *prolabi*.

24 Quòd nimis durum videtur quibusdam, à remissione vllos omnino depelli, qui ad implorandam Domini misericordiam cõfugiant, hoc modo dilui; non denegari pœnitentibus veniam,sed iusto Dei iudicio ob ingratitudinem reprobis denegari,vt vnquam ad pœnitentiam assurgant. Si contrà accipiant, reprobos interdum in eiulatu & lachrymis esse, & clamare ad Dominum, eam non esse veram pœnitentiam, aut inuocationem, sed tantùm miseram anxietatem, & horribile tormentum, quod vel inuitos ad Deum cogat.

25 Si ex altera parte obijciatur, impios quãdoq; ficta sua pœnitentia veniam adipisci, & Deum propitium demereri,sciendum tamen,&,non aliter vllis hypocritis vnquam parci,quàm vt semper illis incumbat ira Dei;& idipsum non fieri tam in eorum gratiam, quàm in commune exemplum: quo scilicet & pij faciliùs animentur ad seriam vitæ correctionem; & grauiùs damnetur eorum superbia, qui cordis impœnitentiam fouent.

CAP. IIII.

Quàm procul abſit ab Euangelij puritate quicquid de de pœnitentia, garriunt ſophiſtæ in ſuis ſcholis. Vbi de confeſſione, & ſatisfactione agitur.

Scholaſticorum doctrinam primùm in genere & ſummatim perſtringit, 1. deinde ſingulas eiuſdem partes examinat, Contritionem. 2.3. Confeſſionem 4.24: Satisfactionem 25-39.

SCHOLASTICOS infeliciter verſari in doctrina de pœnitentia. illos etenim primùm perperam definire: deinde & ineptè partiri: tertiò, de rebus leuiſſimis tragœdias excitare, & ſpinoſis quæſtionibus animos legentium impedire: poſtremò, dicto quodam Hieronymi ſe ita implicare, vt, ſe nunquam explicare queant; inſuper & ſtuporem ſuum nimis craſſè prodant.

2 Quum pœnitentiã partiantur in compunctionem cordis, oris confeſſionẽ, & operis ſatisfactionẽ, voluntq; ab iſtis remiſſionem peccatorũ pendere, primùm oſtenditur cõtritionẽ non poſſe eſſe eiuſmodi, vt veniã nobis promereatur: deinde, & hominum conſcientijs eiuſmodi contritionem non debere imponi, præſertim in eum finem, vt non antea deſiſtant, quàm debitũ perſoluerint.

3 Eiuſmodi cõtritione neminem vnquam adiutum fuiſſe. ſe tamen libenter agnoſcere, & prædicare quandã triſtitiam aut contritionem: ſed quæ inſtituat ad eſuriendam & ſitiẽdam Chriſti miſericordiam; non quæ doceat emereri peccatorum remiſſionem iuſta & plena contritione, qua nullus peccator vnquã defungi poſſit.

Quod ad Cõfeſſionem attinet, quærit primùm ſit nec ne de iure diuino. 4-18: deinde oſtendit qualis ea ſit, quam in verbo Dei traditam habemus 9-14: poſtremò, quàm inſipida ſunt, quæ ipſi de Confeſſione garriunt. 15-24.

4 De Confeſſione ſemper ingentem pugnam fuiſſe inter Canoniſtas & Theologos ſcholaſticos: his affirmãtibus Confeſſionem eſſe de iure diuino, negantibus illis.

Theologos

Theologos verò impiè Scripturas detorsisse, vt inde argumenta ducerent, quibus errorem suum confirmarent. ac primum esse locum illum de leprosis, quos Christus ad Sacerdotes misit, cui vt respondeat, veri illius facti rationem reddit.

5 Secundum argumentum ab allegoria similiter ductum esse: ab eo scilicet, quòd aiunt Dominum discipulis præcepisse, vt suscitatum Lazarum fascijs soluerét & expedirent. huic dupliciter respondet: primùm verisimilius esse, Christum Iudæos allocutum fuisse, quàm discipulos: deinde, quòd ipsa allegoria nõ tã ad Cõfessionẽ astruendã trahi possit, quàm ad nos monendos, vt faciles simus ad condonandos, quos Dominus absoluit.

6 Tertium ab authoritate vel à pronunciatis ductum esse; nempe à duobus Scripturæ locis Mat. 3. 6. & Iac. 5. 16: quibus sigillatim respondet, vtrunque locum interpretando.

7 Confessionem igitur de qua loquitur, nõ esse iuris diuini, quòd, etsi vsus eius vetustus fuerit, semper tamen liber vsq; ad tempora Innocentij tertij: annos circiter mille ducentos à Christo. qualis autem, & quàm inepta lex, tum lata fuerit, ostenditur. Antiquitùs verò, & liberum fuisse confessionis vsum, & pòst in Ecclesia Cõstantinopolitana, ob stupratam matronam eo prætextu, penitus interdictum.

8 Chrysostomo hoc genus confessionis mirum in modum displicuisse.

9 Quod verò ad id genus cõfessionis attinet, quod verbo Dei nobis traditũ est, veterẽ interpretẽ in primis reprehensione summa dignũ esse, quòd *laudis* loco, *confessionem* toties verterit. deinde Scripturam, qui sua peccata confessuri sunt, omnes ad Deum solum dirigere.

10 Hanc arcanam confessionem quæ soli Deo fit, facilè, si syncera est, inducere voluntariã illam apud homines confessionem, quoties id vel diuinæ gloriæ, vel

humiliationis noſtræ intereſt, eiuſmodi quoque voluntariam confeſſionem coram hominibus, ab ordinatione Dei originem traxiſſe.

11 Huius voluntariæ confeſſionis [duo eſſe genera, publicã & priuatam, publicæ item] duas ſpecies eſſe, vnã ordinariam, alteram extra ordinẽ. poſterioris vſum eſſe, quoties vel peſte, vel bello, vel ſterilitate, vel aliqua calamitate affligimur: prioris, cum in omni ſacro cõuentu ſiſtamus nos in conſpectu Dei & angelorum.

12 Priuatæ confeſſionis duas ſimiliter formas eſſe: vnam, quæ noſtra cauſa fit; alteram, quæ in proximorum gratiam facienda eſt. prioris vſum eſſe, quoties aliquis fidelium ita priuatim angitur, & afflictatur peccatorum ſenſu, vt ſe explicare niſi alieno adiutorio nequeat. tum enim expedire, vt liberè aliquem eligat, qui ex Eccleſiæ grege maximè idoneus viſus fuerit (quales Miniſtri vt plurimum iudicandi ſunt) cui confiteatur, & in cuius ſinum ſe exoneret. Hîc tamen cauenda eſſe, &, neceſſitatem omnia delicta enumerandi; &, in Miniſtris tyrannidem; &, in populo ſuperſtitionem.

13 Alteram, quæ ad proximum placandum, & nobis recõciliandũ, ſi qua in re, noſtro vitio læſus fuerit, ab ipſo Chriſto nobis commendatam eſſe. ſub hoc genere comprehendi eorum confeſſionẽ, qui vſque ad totius Eccleſiæ offenſionẽ peccarunt. Aliam cõfitendi vel rationem, vel formam, Scripturã penitus ignorare: & noſtrum non eſſe, nouis vinculis conſcientias fidelium conſtringere.

14 In his tribus confeſſionis generibus [de publica loquitur, & duabus priuatæ formis] clauium poteſtatem locum habere, & quanta vtilitas inde ad confitentes redit. cum verò de clauibus agitur, cauendum eſſe, ne facultatem aliquam ſomniemus, ab Euangelij prædicatione ſeparatam.

15 Iam ad Romanenſium cõmenta examinãda veniẽs, primùm breuiter oſtẽdit qualẽ cõfitẽdi neceſſitatẽ omnibus

omnibus ſtatuerint: deinde, quot claues ſe habere fingant, & quænam ſint: tertiò, quàm obliquè detorqueant potius quàm interpretentur ligare & ſoluere: poſtremò, quibus hoc munus aſſignant.

16 Ad ſingula paucis reſponſurus, ac primùm, ad neceſſitatem enumerandi omnia peccata, quã lege ſanxerunt, oſtendit eam eiuſmodi eſſe, vt nullo prorſus modo obſeruari poſſit.

17 Hac carnificina quàm miſerè vexatæ ſint eorum animæ, qui aliquo Dei ſenſu afficiebantur, elegantiſſimè deſcribit, idque duplici ratione: primùm, quòd nullo modo fieri poſſit, quod ſeueriſſimè exigũt: deinde, quòd fomenta quæ adhibent, dolores augeant potiùs, quàm diminuant, ſiue non aliud exigant, quàm vt quiſque faciat quod in ſe eſt, ſiue pœnitentibus veniam negligentiæ concedant, modò ſupina non ſit. Hîc cogitent lectores, &c. confirmatio eſt præcedentium.

18 Qua ratione alij tam frigido ſolatio acquieuerũt, duabus ſimilitudinibus oſtendit: Legem quoque ipſam duplici nomine iniquam eſſe: item, quæ ſit certiſſima cõfeſſionis regula, nempe, ſummatim fateri, tantam eſſe abyſſum iniquitatis noſtræ, vt ſenſum noſtrum longè ſuperet: ſic tamen, vt ſingula quoque diſcutiamus, quoad fieri poſſit, & videbitur expedire. quòd alioqui negant dimitti peccata, nullo modo illis concedendum eſſe: cõfirmationem quam afferunt, de incognitis iudicium fieri non poſſe, duplici quoque nomine infirmam eſſe.

19 Non immerito igitur auricularem confeſſionem, tot nominibus Eccleſiæ noxiam nos damnare. quod hoc ei vtilitatis tribuant, vt erubeſcentia peccatorem humiliet, id ſecus eſſe, experientia nos doceri.

20 Quod huc obtẽdũt poteſtatẽ clauiũ, nihil omnino valere: primũ, quia nõ ſunt Apoſtolorũ ſucceſſores: deinde quia nõ habẽt Spiritũ ſanctũ (qui ſolus eſt clauiũ arbiter & moderator) quẽ ſi haberent, non poſſent ſine dele-

ctu(quod ipsi sæpissimè faciunt) soluere quæ ligari Dominus voluerat,nec ligare quæ solui iusserat.

21 Quòd potestatem se vsurpare aiunt sine scientia, clauesque suas definiant, esse authoritatem discernẽdi,& exequutionis potestatẽ,scientiam minimè profitentes,sed habere instar cõsiliarij ad bonum vsum, si accedat (vt hoc modo audaciam & temeritatẽ suam odio leuent, quod dignos & indignos promiscuè soluant & ligent, nimis vtique per se odiosum) perinde esse, acsi dicerent se nihil quàm imaginariam potestatem, ac friuolam dispensationem habere:vtcunque fortasse negabunt, se aliter Christi dictum limitare, quàm secundum eius merita qui ligatur & soluitur. Contrà vero, Euangelij nuncios certam habere dispensationem, qui verbo edocti scientiam habẽt, qua dignitatem cuiusque, provt opus fuerit, metiantur.

22 Si excipiat quispiam, legitimos Christi ministros non minus perplexos esse in suo officio, quia absolutio quæ à fide pendet semper ambigua erit; deinde, & ipsis peccatoribus nullum aut frigidũ solatium fore, quia minister ipse qui idoneus iudex non est eorum fidei, de eorundem absolutione certus nõ est:solutionẽ in promptu esse;quia non, vt illi, à persona vel iudicio sacerdotis, remissionem pendere dicimus (quod absolutionem papalem dubiam & perplexam multifariam reddit) sed à fide eius quem absoluimus;nec aliam profitemur remissionem,quàm conditionalem.

23 Pleniore de his rebus tractatione in alium locũ dilata,nunc alios quosdam eorum errores breuiter perstringit. Ac primùm, quòd præposterè ad auricularem confessionem trahunt, quæ partim de Euangelij prædicatione, partim de excommunicatione, à Christo dicta sunt: deinde, quòd negent sufficere, soli Deo,vel laicis, confiteri peccata,nisi sacerdos sit cognitor: tertio, quòd etsi rectè fateantur(quia pœnitentiam semper comitatur solutio)

ſolutio) nullum propriè vinculum manere, vbi quis pœnitentia tactus fuerit, (ideoque ſacerdotem tunc non tam remittere peccata, quàm declarare remiſſa eſſe) tamen, & in verbo *declarandi* craſſum errorem inſinuant, &, hanc ſuam moderationem iniunctione pœnæ, & ſatisfactionis penitus ſubuertunt.

24 Breuis ſumma eorum quæ de Confeſſione hac Pontificia dicta ſunt.

25 Ad *Satisfactionem* veniens, cui Scholaſtici tertium locum in ſua definitione pœnitentiæ aſſignarunt, primùm oſtendit qualis ſatisfactio ab illis fingitur: deinde, contendit facillimè eam euerti poſſe gratuita peccatorum remiſſione oppoſita, præſertim vt Scriptura eam prædicat, nempe, per nomen ſolius Chriſti.

26 Quod contrà afferunt, peccatorum ſcilicet remiſſionem & reconciliationem fieri ſemel, quum in gratiam Dei per Chriſtum in Baptiſmo recipiamur; poſt Baptiſmum ſi peccauerimus, reſurgendum eſſe per ſatisfactiones, ſanguinem quoque Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claues Eccleſiæ diſpenſatur, manifeſta Scripturæ authoritate euerti.

27 Duo, quæ hîc cauenda erant (prius, vt integer & illibatus ſuus honor Chriſto ſeruetur; poſterius, vt conſcientiæ de peccati venia ſecuræ, pacem apud Deum habeant) Satisfactionis commento violari, primùm figillatim probatur: deinde & illud tollitur, quòd locos, quibus afferitur peccatorum remiſſio, ad chatecumenos tantùm pertinere nugantur, non ad eos, qui in Eccleſiæ ſinu diu enutriti fuerunt.

28 Diſtinctionem, ad quam confugiunt, peccata quædam venialia eſſe, quædam mortalia, nihil eos iuuare (neque tamen ſequi, peccata omnia æqualia eſſe) quum maior ſit peccatorum cumulus, quàm vt exitum ſatisfaciendi inueniant.

29 Alteram iſtorum diſtinctionem, de remiſſione

culpæ, non autem pœnæ, claris Scripturæ teſtimonijs & firmiſſimis rationibus euerti.

30 Idem argumentum priore parte huius ſectionis proſequitur, contendens Chriſtum nihil nobis præſtitiſſe, ſi adhuc pro peccatis pœna exigeretur: poſteriore, viam illis occludit alibi elapſuris, diſtinctione pœnæ, æternæ ſcilicet, & temporalis.

31 Atque ita ad Scripturæ teſtimonia veniens, quibus ſe, poſt argutas iſtas diſtinctiones, armatos putant, eos primùm in medium producit; deinde ijs reſponſurus, pauca præmittit de iudicio Dei: duo eiuſdem genera faciens, vnum vindictæ, alterum caſtigationis.

32 Ex vtriuſq; conſideratione duas producit diſtinctiones: quarum primam vult eſſe, vbicunque pœna eſt ad vltionem, ibi maledictionem & iram Dei ſe exerere, quam ſemper à fidelibus continet: caſtigationem cõtrà, & Dei benedictionem eſſe, & amoris habere teſtimonium. vtrunque multis Scripturæ locis confirmat.

33 Alteram eſſe, quòd dum flagellis Dei reprobi feriuntur, iam pœnas illius iudicio quodammodo pendere incipiant: ferulis autem verberari filios, nõ vt multam delictorum Deo perſoluant; ſed vt inde ad reſipiſcentiam proficiant. vtrunque & Scripturæ, & quorundam Patrum teſtimonijs confirmat.

34 Inprimis neceſſarium eſſe, vt fideles eiuſmodi cogitationibus in afflictionum acerbitate inſtruantur, ne Deum iratum & ſibi aduerſum concipiant. &, non tantùm æternas, ſed temporarias quoque pœnas, maledictiones Dei eſſe poſſe.

35 Ac primum, quod attinet ad locum illum 2. Sam. 12. 13, interpretatur animaduerſionem illam in Dauidem, caſtigationem fuiſſe, qua ipſe & alij omnes cautiores redderentur, non autem pœnam, qua compenſationem quandam Deo ſolueret.

His præmiſſis de duplici iudiciorum Dei conſideratione, proximis tribus

tribus sectionibus respondet locis Scripturæ quos adduxerat, pro commento suo confirmando.

36 Quod ad secundum, de iustitia redimente peccata, Dan.4.c.24. tertium, de charitate operiente multitudinem peccatorum, Pro. 10. b.12. quartum, de misericordia expiante peccatum, Pro.16.a.6.& quintum, de eleemosynis omnia mundantibus, Mat.23.c.25. attinet, vnicuique sigillatim respondet.

37 Quod ad vltimum spectat, nempe, de peccatis multis mulieri condonatis, quod multum dilexisset, Luc.7.f.36. ostendit Christum non fecisse dilectionem mulieris causam remissionis, sed probationem, &, argumentum à posterioribus.

38 Explicatis Scripturæ testimonijs, ad Patres venit, quorum nonnullos hac in parte aut lapsos esse, aut nimis asperè ac duriter locutos fatetur: qui tamen nihil fere pro dogmatibus Scholasticis faciant.

39 Illos enim de satisfactionibus ita locutos, vt appareat eo tempore satisfactiones pœnitentiam non Deo in compensationem, sed Ecclesiæ in testificationem, se prioris vitæ verè, & ex animo pertæsos, destinatas esse: Lombardum verò & reliquos, ex adulterinis scriptis sua deliria decerpsisse.

CAP. V.

De supplementis quæ ad satisfactiones adijciunt, nempe indulgentijs, & Purgatorio.

EX hac satisfactionis doctrina indulgentias scaturire, quibus Christi & Martyrum merita dispensare se fingunt eis, qui ad satisfaciendum viribus proprijs destituuntur. hunc autem errorem tam crassum esse, vt mirum sit homines eo tot seculis decipi potuisse.

2 Quid sint indulgẽtiæ ex sua ipsorũ doctrina: scilicet nihil aliud reuera esse, quàm sanguinis Christi indignã profanationem, multis Scripturæ testimonijs probatur.

3 Et Leonem Romanum Pontificem, & Auguſtinum contra eiuſmodi ſacrilegia ſcripſiſſe. Confirmationem, quam ipſi afferunt, nempe, martyres plus morte ſua Deo præſtitiſſe ac meritos eſſe, quàm ſibi opus eſſet, tantamq; illis meritorum largitatẽ ſuperfuiſſe, quæ in alios redundaret, nec iam ſuperuacuum eſſe debere tantum bonum, nullam eſſe.

4 Illos admodum malitioſẽ Pauli locum Col. 1.24. huc detorquere, ex quibuſdam alijs eiuſmodi locis, & Auguſtino oſtenditur.

5 Non debuiſſe Papam, plũbo & membrana gratiã Ieſu Chriſti includere, quam Dominus verbo Euangelij diſpenſari voluit. &, quæ fuerit indulgentiarum origo.

6 Quod ad Purgatorium illorum attinet, hoc eſt, ſatisfactionem quę poſt mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis, nõ eſſe ijs aſſentiẽdum, qui illud ſilentio prætermittendum eſſe volunt, propter vitandas verborum pugnas, quandoquidem Chriſti crucem euacuat: certum autem eſſe, diruta ſatisfaciendi opinione, à fundamentis & ipſum prorſus euerſum eſſe.

7 Quibuſdam Scripturæ locis reſpondet quibus miſerum ſuum Purgatorium ſtabilire conantur. quorum primum eſt de peccato, quod nec in hoc ſeculo, nec in futuro condonetur. Mat. 12. e. 32. ſecundũ, de vltimo quadrante perſoluendo. Mat. 5. d. 25.

8 Tertium, de flexione genuum infernorum Phil. 2. b. 10. quartum, de exemplo Iudæ, oblationem pro mortuis Hieroſolymam mittentis, 2. Mac. 12. g. 43.

9 Quintum & vltimum, de igni vniuſcuiuſque opus probante. 1. Cor. 3. c. 12, 15.

10 Quod vetuſtiſſimã eſſe Eccleſię obſeruationem contendant, id in ſolidum negari non poſſe. Veteres tamen & abſque Dei verbo, & probri vitandi cauſa, & peruerſa æmulatione, & incõſiderata credulitate (ne publico mori, vulgiq́ue imperitiæ deeſſent) &, quod vnum

ſatis

satis est ad rem ipsam refutandam, non sine summa hæsitatione feciſſe: neque etiam sic feciſſe, vt istorum erroribus, illorum vel facta, vel dicta patrocinari queant: denique, nonnulla veterum testimonia proferri posse, quæ totas illas pro mortuis preces, quæ apud nos in vsu fuerunt, manifestè euertunt. reliqua silentio se de industria præterire.

CAP. VI-X.

Quæ proximè hisce quinque capitibus de Vita hominis Christiani disputat, hoc ordine congesta esse mihi videntur, vt omnia ad duo præcipua capita referantur: primùm, vt hoc vnum apud omnes pro confesso habeatur, Neminem Christianum esse, qui singulari quodam iustitiæ amore non afficitur, cap. 6. deinde, quod ad normam attinet, qua quisque suam vitam formare debet, etsi ea proximum tantùm caput occupare videatur, reliqua tamen omnia quæ sequuntur, ad eam spectant. Nam quæ duo homini Christiano præstanda esse docet, quum tam ardua deprehendantur, vt in ijs præstandis summa patientia opus esse fateatur, Cap. 7. Huius rei gratia, &, vtilitatem Crucis ex professo describit, Cap. 8. &, ad futuræ vitæ meditationem reuocat, Cap. 9. &, quod ad hanc rem non parùm conducit, quomodo hac vita eiusq; adiumentis vtendum sit, nequid ex vlla parte in eo peccetur, perspicuè ostendit, cap. 10.

CAP. VI.

De vita hominis Christiani: ac primùm, quibus argumentis ad eam nos hortetur Scriptura.

DE vita hominis Christiani dicturus in ipsa fronte ostendit, qua ratione eam tractatui præcedenti de regeneratione subnectat: nempe, quia scopus sit regenerationis, vt in vita fidelium appareat inter Dei iustitiam, & eorum obsequium, symmetria & consensus, atque ita adoptionem confirment, qua recepti sunt in filios. tum etiam quo ordine de ipsa dicturus sit exponit.

2 Duabus partibus constare vitæ nostræ institutionem, vt eam nobis Scriptura depingit. Priorem esse, vt iustitiæ amor animis nostris instilletur: alteram, vt præ-

ſcriptam normam habeamus, quæ nos in iuſtitiæ ſtudio aberrare non ſinat. Cõmendandæ iuſtitiæ rationes Scripturam plurimas & optimas habere: quarum quum ſint aliæ generales, aliæ ſpeciales, vnam generalem (nempe, vt ſancti ſimus) duplici ratione deſcribit: quia ſcilicet, & Deus noſter ſanctus eſt; & nos cum eo coniungimur, ſeu in eius populo cenſemur.

3 Alteram generalem primùm ponit, nempe, vt cõformes fiamus Chriſto: deinde, ſpeciales nonnullas cõmemorat, ex omnibus Dei beneficijs quas nobis contulit, ſigillatim deſumptas.

4 Eos non eſſe Chriſtianos, qui in vita & moribus nihil minus quàm Chriſtum reſipiunt: ſed Chriſtum inſigni contumelia afficere.

5 Neq, tamen ſe eos tantùm pro Chriſtianis agnoſcere, quorum mores nihil quàm abſolutum Euangeliũ ſpirent, (quod tamen ipſum & optandum, & cuiq; elaborandũ eſt) ſed eos omnes, qui ſyncera ſimplicitate in votis habent, vt aliquid aſſiduè in via Domini proficiant.

CAP. VII.

Summa vitæ Chriſtianæ: vbi de abnegatione noſtri.

PRIMVM gradum eſſe, hominem à ſeipſo diſcedere oportere, & ſe totum applicare ad Domini obſequium. Hanc renouationem mentis philoſophos omnes adeò non nouiſſe, vt mentis gubernationem numeris omnibus abſolutiſſimam arbitrarentur.

2 Indę conſequi & illud alterum, vt ne quæramus quæ noſtra ſunt; ſed quæ ex Domini ſunt voluntate, & faciunt ad gloriam eius promouendam. Vbicunque verò prior ille gradus non præcedit, illic vel ſpurciſſima vitia ſine pudore peruagari; vel, ſi qua eſt virtutis ſpecies, praua gloriæ cupidine vitiari.

3 Ex Paulo ad Titum 2. 11. generalem ponit eiuſdem

dem descriptionē; sed quæ distinctiùs in speciales quasdam partes totam distribuat.

4 Abnegationem nostri, quæ prima est pars, partim proximos, præcipuè verò Deum respicere. Difficilem verò esse quoad proximos, quòd duo maximè difficultatis præcipiat; priùs, vt illos honore nobis anteferamus.

5 Posteriùs, vt procurandis eorum commodis totos nos bona fide impendamus.

6 In istiusmodi officijs præstandis, inprimis patientia opus esse, ne benefaciendo fatiscamus: & quibus argumentis optimè effici possit, vt patienter omni officio & benevolentia alios prosequamur, licet ipsi vel indigni sint, vel pessimè de nobis meriti.

7 Mortificationem istam nullam esse, donec charitatis numeros impleamus: hoc est, non tantùm omnibus charitatis officijs defungamur, etsi nullum prætermittamus, sed etiam ex syncero amoris affectu id faciamus. aliàs enim accidere solere, vt arrogantia vel exprobratione nostra officia contaminemus; vel, cum cui benefecimus tanquam nobis obligatum subiugemus; vel, vno genere officij defuncti, à reliquis liberatos nos putemus.

8 Abnegationem nostri, quatenus Deum respicit, maximè ad æquanimitatem nos formare: ac primùm quidem in ijs quærendis, quæ ad vitam præsentem spectant: vbi nos nostraque omnia Domini arbitrio resignare, & cordis nostri affectus illi domandos & subigendos tradere oportet.

9 Inde sequi, vt, nec mala diteſcendi cōpendia queramus; nec immodica terrenorum cupiditate ardeamus; nec frangamur, si votis euentus non respondeant.

10 Deinde, quam dixit, æquanimitatem vlterius extendi oportere, nempe ad omnes casus quibus præsens vita obnoxia est. hoc enim admodum necessarium esse,

CAP. VIII.

De crucis tolerantia quæ pars eſt abnegationis.

VNVMQVENQVE debere ſuam crucem tollere, hoc eſt, ſe ad duram, laborioſam, inquietam, plurimiſque ac varijs malorum generibus refertam vitam præparare. cœleſtem Patrem à Chriſto primogenito ſuo exorſum, erga omnes ſuos filios hunc ordinem proſequi: proinde inſignem conſolationem ad nos inde redire, quòd Chriſti paſſionibus communicemus.

2 Nobis multis rationibus neceſſe eſſe, ſub aſſidua cruce vitam degere: primùm, vt hoc pacto ſtolida & inanis carnis noſtræ confidentia retundatur, & ad humilitatem exerceamur, quò meliùs ad Dei gratiam nos cõferamus.

3 Ex quo vno, quot bona naſcantur luculenter oſtenditur.

4 Deinde, vt patientia noſtra exploretur; & ad obedientiam erudiamur. vtrunque breuiter explicat.

5 Quoque magis perſpiciamus, quàm neceſſaria ſit nobis iſtæc obedientia, ſimul reputandum proponit, quanta ſit ad excutiendum Dei iugum carnis noſtræ laſciuia, ſimulatque molliùs aliquantiſper atq; indulgentiùs habita eſt.

6 Tertiò, Deum nos affligere, vt præterita delicta corrigat, noſque in legitima erga ſe obedientia contineat, ne cum hoc mundo damnemur.

7 Poſtremò, & hoc conſolationis plurimum habere, ſi pro iuſtitia patiamur.

8 Hanc crucis ſpeciem fidelium maximè propriam eſſe: nos igitur libenter, atque hilariter eam è manu Dei ſuſcipere oportere: nec tamen eam hilaritatem requiri, quæ omnem acerbitatem doloriſque ſenſum tollat; ſed quæ fortiter obſiſtendo eluctetur.

9 Huius conflictus deſcriptionem è Paulo ſumptam,

ptam, Stoicorum vanitati opponit: illamque exemplo Christi illustrat.

10 Ne pij animi studio patientiæ ideò protinus renuncient, quòd naturalem doloris affectum exuere non possunt, pleniùs ostendit, quod paulò antè leuiter attigerat, qualis sit patientia quæ à nobis requiritur.

11 Ex his quæ dicta sunt liquere, quantum inter philosophicam & Christianam patientiam intersit. illam etenim non aliam adferre rationem, nisi quia necesse est: hanc verò, à voluntatis diuinæ consideratione ita pendere, vt ærumnas in hac vita perferre, & iustum agnoscat, & salutare; ideoque & libenter ferat.

CAP. IX.

De meditatione futuræ vitæ.

HOc esse Domini consilium quum cruce aliqua nos exerceat, vt assuescamus ad præsentis vitæ contemptum (quæ nobis alioqui plus æquo placeret) indeq; ad futuræ vitę meditationem excitemur: vt nihil hîc, quàm certamen inuenientes, ad cœlos pro laborum intermissione aspiremus.

2 Inter ista duo nihil medium esse: aut vilescat nobis terra oportet, aut intemperato amore sui vinctos nos detineat. Deinde, quia multùm apud nos valet, magnopere nostra referre, identidem auocari, ne talibus lenocinijs fascinemur.

3 Se non talem præsentis vitæ contemptum fingere, qui, aut eius odium, aut aduersus Deum ingratitudinem generet. Hanc enim vitam multi pretij esse, & bonitatis diuinæ munus egregium.

4 Sic contemnendam esse præsentem vitam, vt quicquid prauo eius amore detrahimus, id melioris vitæ desiderio adijcere debeamus: neque simpliciter huius tædio afficiamur, sed vbi ad comparationem cum meliore ventum est. Alioqui, stationem, in qua nos Do-

minus collocauit, tandiu nobis seruandam esse, quoad ille reuocarit.

5 Sensum naturalem exhorrescere posse audita nostra dissolutione: eam autē infirmitatem sic vinci oportere desiderio vitæ futuræ, vt fides ardēter expetere cogat, quod natura reformidat: neminēq; benè in Christi schola profeciſſe, nisi qui & mortis, & resurrectionis vltimæ diem cum gaudio expectet: quippe quæ non votis modò, sed gemitu etiam, ac suspirijs, velut res omnium fauſtiſſima, sit expetenda.

6 Causa, tam à vitæ præsentis, quàm à consideratione futuræ, ducta.

CAP. X.

Quomodo vtendum præsenti vita, eiusque adiumentis.

QVIS sit rectus bonorum terrestrium vsus, rem esse in componenda vitæ ratione cognitu valde necessariam. eam à Domino describi, quum doceat, hanc vitam quandam peregrinationem esse, qua in cœleste regnum contendimus. hinc enim sequi, eatenus vtendum eius bonis, siue ad necessitatem, siue ad oblectamētum, vt cursum nostrum iuuent potius, quàm morentur. Hìc igitur nimiam austeritatem ex vna parte; ex altera verò effrenam libidinem, cauendam esse.

2 Ita in bonum nostrum omnia creasse Deum, vt non necessitati modò, sed oblectamento quoque nostro ac hilaritati consuluerit.

3 Inhumanam ergo philosophiam esse, quæ nullum ex creaturis, nisi necessarium vsum concedit. Nec minus diligenter ex altera parte occurrendum esse carnis libidini; quæ nisi in ordinem cogatur, sine modo exundat. Ad hanc refrænandam, primò sciendum ideò cōdita esse omnia, vt authorem cognoscamus; ac eius indulgentiam erga nos gratiarum actione prosequamur; quorum

quorum neutrum possunt, qui terrenis istis intemperanter abutuntur.

4 Secundò, eatenus hæc omnia contemni oportere, quatenus ad perpetuam ac viuidam regni cœlestis meditationem expedit. hãc autem nimio eorum amore duplici ratione prorsus extingui: primùm intemperanter vtendo, si affluant; (quoniam ita ex adiumentis impedimenta facimus.)

5 Deinde molestè carendo, si absunt, aut immodicè appetendo: hoc enim pietati vehementer obesse. Scripturam quoq; alio modo rerum terrenarum vsum modificare: nempe cùm doceat, eas in nostrum vsum ita deputatas esse, vt simus de eis rationem reddituri; & ei, qui abusum omnem ore suo iam condemnauit.

6 Postremò & illud non mediocriter facere, ad dijudicandum quis sit rectus terrænorum vsus, quòd Deus vnumquenque nostrum, in cunctis vitæ actionibus, in suam vocationẽ intueri velit, ne quid temerè, aut dubia conscientia tentemus.

CAP. XI-XVIII.

Hæc octo capita de Iustificatione fidei quæ sequuntur, mihi quidem videntur hoc ordine aptissimè connecti posse: vt primùm rem ipsam asserat, 11. quatuor verò quæ proximè sequuntur, iustitiam operum destruendo, confirment, singula secundum eam rationem, quam in suis quæque titulis præ se ferunt: duodecimũ à descriptione perfectæ iustitiæ; 13 & à duobus quæ cauenda sunt, 14. à consideratione initij, & progressus sanctificationis, in renatis, 15. à duobus pessimis effectis, quæ iustitiam operum semper comitantur: tria reliqua, primùm calumnias, 16. Deinde argumenta aduersariorum retundant, primùm ea quæ ex promissionibus vel Legis, vel Euangelij ducuntur, 17. Deinde ea quibus ex promissa mercede, operum iustitia colligitur, 18.

CAP. XI.

De iustificatione fidei, ac primùm de ipsa nominis & rei definitione.

Tres præcipuæ sunt partes huius capitis. Nam primò de voce disputat 1-4. Deinde, Osiandri deliriũ de essentiali iustitia retundit 5-12. postremò,

contra iuſtitiam operum, iuſtitiam fidei erigit 13-23.

QVAE ſupra de regeneratione dicta ſunt breuiter recitatis, doctrinam Iuſtificationis aggreditur. cuius notitiam duplici nomine maximè neceſſariam eſſe contendit.

2 Ne impingatur in ipſo limine, quid ſit *iuſtificari*, primùm, coram Deo; deinde, operibus; tertiò, fide, oſtendit.

3 Hanc ſuam interpretationem vocis, multis Scripturæ teſtimonijs confirmat.

4 Deinde & rem ipſam ad eam accommodat ex Paulo.

5 Quod ad delirium Oſiandri attinet, eius fundamentum contendit eſſe, quòd peruersè interpretaretur locos quoſdam, de vnione quæ eſt inter Chriſtũ & nos, eſſentialem ſcilicet comminiſcens: quaſi (quod falſum eſt) eſſentia Chriſti miſceretur cũ noſtra. hinc eſſe quòd primùm contendat, Chriſtum nobis eſſe iuſtitiam, non quatenus eius iuſtitia per fidẽ noſtra fit; ſed quia Chriſtus eſt Deus æternus, fons iuſtitiæ, ipſaque Dei iuſtitia, fingens nos ſubſtantialiter in Deo iuſtos eſſe, tam eſſentia, quàm qualitate infuſa: Deinde, non ſolùm Chriſtum, ſed & Patrem & Spiritum in nobis habitare, ſubſtantiali quadam mixtione, quaſi nos partem ſui faciat.

6 Hoc delirium pernicioſius eſſe, quàm vt ſilentio id præterire conueniat. ex eo enim duo iſta promanare: prius, iuſtificari eſſe, non ſolùm recõciliari Deo gratuita venia, ſed iuſtos eſſe; vt iuſtitia ſit, non gratuita imputatio, ſed ſanctitas & integritas, quàm Dei eſſentia in nobis reſidens inſpirat: alterum, Chriſtum non eſſe iuſtitiam noſtram, quatenus Sacerdos peccata expiãdo Patrem nobis placauit; ſed quatenus eſt Deus æternus & vita. prius iſtorum Oſiander vt probet, & rationem affert (quæ ſimilitudine appoſitiſſima diluitur) & quæ dã Scripturæ loca manifeſtè deprauat.

7 Quod

7 Quod obijcit, ex doctrina nostra sequuturum, vt vis iustificandi ineſſet fidei ex seipsa, nullo negotio dilui posse. Deinde quòd ipse dicat, fidem esse Christum, tortuosam esse figuram, nec recipiendam.

8 Quod ad alterum illud probandum, externi verbi Ministerio, verbum internum ita à nobis recipi, contendat, vt à Mediatoris persona, ad æternam eius diuinitatem nos traducat; &, quum Deus, & Homo sit Christus, eum respectu diuinæ, non humanæ naturę, iustitiam nobis factum esse velit, refutatur.

9 Si obijciat, opus istud, quia sua præstantia superat hominis naturam, ideò non posse nisi diuinę naturę adscribi, hoc quoq; quàm nullius sit momenti clarè ostendit: &, quàm malignè iustitiam Dei, nihil aliud quàm essentialem eius iustitiam, significare posse contendat.

10 Se tamen fateri, hoc tam incomparabili bono nos priuari, donec Christus noster fiat. vbi etiam ostendit, qualis istæc vnio sit, insignis illa quidé & efficax: sed mystica, non essentialis. Deinde indicat, quorsum essentialem iustitiam, & essentialem in nobis Christi habitationem, tam importunè Osiander exigat: nempe, primùm, vt obtineat, crassa mixtura Deum se in nos transfundere (idque ad stabiliendam carnalem Christi manducationē in Sacramento) deinde, vt euincat Deum iustitiam suam realiter inspirare, qua realiter simus cum ipso iusti.

11.12 Rationes, quibus hæc euincere conatur; obiectionesque, quibus contra veritatem nititur, omnes sigillatim diluit.

13 Atque ita ad alios veniens, qui iustitiam ex fide & operibus compositam imaginantur, ostendit sic inter se differre fidei operumque iustitiam, vt altera stante, necessariò altera euertatur.

24 Effugium, quod sophistę habere se putant, quum hoc tribuant ijs tantùm operibus, quæ à regeneratis fi-

unt; non autem ijs, quæ extra gratiam Christi faciunt homines nondum regenerati, nullum esse.

15 Crassiùs Scholasticos, qui non gratuitæ iustitiæ imputatione, sed Spiritu ad studium sanctitatis adiuuante, hominem iustificari contendunt.

16 Scripturam, quum de iustificatione fidei loquatur, longè aliò nos ducere: nempe, vt ab intuitu operum nostrorum auersi, in Dei misericordiam, ac Christi perfectionem tantùm respiciamus.

17.18 Id quò meliùs ostendat, duos locos ex Paulo profert, & ad institutum suum accommodat, Rom. 10. 3. & Gal. 3. 18.

19 Inde concludit, sola fide nos iustificari, licet particula *Sola* nusquam in Scriptura reperiatur: ineptissimumque subterfugium esse, quòd Paulum ceremonialia tantùm opera excludere clamitent.

20 Quo sensu opera, & iustitiæ titulo, & mercede digna habeantur; nec tamen in iustificationis rationem veniant. &, licet iustitiam cõsequamur non simulata sed vera fide, quæ per dilectionem operatur, non tamẽ charitate iustitiam niti.

21 Iustitiam fidei esse reconciliationem cum Deo, ideoque [a] sola peccatorum remissione constare.

a Hic verò addendum, quod paulo pòst sequitur, vbi, iustitiam Christi simul apprehendendam esse monet.

22 Id & Scripturæ & veterum testimonio probatur.

23 Hinc & illud sequi, non ideò iustificari hominem fide, quoniam illa Spiritũ Dei participat, quo iustus redditur; sed quia iustitiam Christi apprehendit.

CAP. XII.

Vt seriò nobis persuadeatur gratuita iustificatio, ad Dei tribunal tollendas esse mentes.

NON hîc se de humani fori, sed cœlestis tribunalis iustitia loqui: coram quo nihil est acceptum, nisi omni ex parte integrum & absolutum.

a Facile

2 Facile quidem esse, dum in hominibus subsistit comparatio, vt se quisque habere reputet, quod alij contemnere non debent: sed vbi ad Deum assurgimus corruere dicto citiùs, ac deperire fiduciam illam, similitudine, & quibusdam Scripturæ locis ostenditur.

3 Item ex Patribus, maximè verò Augustino & Bernardo.

4.5 Nullum esse asylum, in quo respirare tuto conscientiæ possint, nisi cum Dei iudicio negotium est: quòd tanta sit nostra hypocrisis, vt donec ad illud perueniamus, ob externam iustitiæ laruam nos demulceamus, nec latentem cordis impuritatem iusta trutina examinemus.

6 Atque hanc demum veram esse humilitatem, & quibusdam testimonijs probatur:

7 Et exemplo Publicani illustratur.

8 Facessere igitur à nobis debere, tum arrogantiam, tum securitatem: quia tantum quisque obijcit impedimenti beneficentiæ Dei, quãtum in seipso acquiescit.

CAP. XIII.

Duo esse in gratuita iustificatione obseruanda.

PRIVS eorum, quæ in gratuita iustificatione obseruanda sunt, hoc quidem esse, vt Domino sua gloria illibata constet: id enim ei iure optimo deberi.

2 Eos vero omnes in hanc partem peccare, qui in se gloriantur: neminémque posse vllam iustitiæ micam sibi vendicare, quam non ex diuinæ iustitiæ gloria iniquè decerpat.

3 Alterum, vt nostris conscientijs coram Deo placida sit quies. id autem non iustitia operum, nec alia ratione, quàm gratuita iustitia acquiri posse. alioqui primo quidem, fidem exinanitam esse:

4 Deinde & promissionem, si complementum à nostro merito dependet, quemadmodum & altera

illa ratione tollitur, nempe si fidem tollas. collapsa enim fide, nullam promissionis vim esse: fide autem stante, & promissionem quoque abundè confirmatam esse. hoc primùm ex Aug. probat.

5 Deinde ex ipso Paulo: vbi etiam hoc ipsum opposito illustrat; nempe, non ideo iustos esse, quia regeniti spiritualiter viuimus, quia regeneratio nostra semper mutila est in hac carne. fidem verò, quoad iustificationem, rem esse merè passiuam nihilque adferre nostrum ad conciliandam Dei gratiam; sed, à Christo recipere quod nobis deest.

CAP. XIIII.

Quale initium iustificationis & continui progressus.

Quò melius hæc quæ dicta sunt intelligantur, qualis possit esse tota vitæ decursa hominis iustitia, discutiendum suscipit, omnesq; homines in quatuor classes distribuit, ac de singulis seorsum agit: de prima 1-6: de secunda & tertia coniunctim. 7. & 8. de quarta 9-21.

PRIMAM, eorum esse, qui nulla agnitione præditi in idololatria demersi sunt. in istis, à vertice capitis, ad plantam vsque pedis, scintillam boni non reperiri: speciem quoque sanctitatis nullius coram Deo pretij esse.

2 Multum tamen interesse inter quosdam melioris notæ, & alios quosdam deploratissimos: dona quoque Dei esse, quæcunque in incredulis apparent egregiæ dotes: &, præsentis vitæ benedictionibus eos prosequi Deum, qui inter homines virtutem colunt.

3 Quicquid ab incredulis fit, quantumuis laudabile videatur, duplici tamen ratione corruptum esse: cordiũ scilicet impuritate, & quòd rectum finem negligunt.

4 Quod ipsum aliter etiam ostendit: primùm, quia Christum non habent.

5 Deinde, naturali hominis conditioni, Dei gratiam egregiè opponendo: primùm scilicet, quia mortui; deinde quia nihil sumus, donec illius gratia illustrati, resuscitati, ac veluti de nouo conditi simus.

6 Po-

6 Postremò (etsi vereatur ne misericordiæ Dei iniurius fiat, qui tanta anxietate in ea asserenda laboret, perinde acsi dubia obscuraque foret) Isaiæ testimonio, & validissima ratione:idque vt vulgi errorem tollat; qui etsi fateatur, neminem promeritum fuisse, vt redemptionem suam Christus perageret, vt tamen redemptionis possessionem adeant, proprijs operibus adiuuari se putant.

7 Quos in duas proximas classes digesserat, eos vtique, qui Sacramentis initiati, vitæ impuritate Deum, quem ore confitentur, factis abnegantes, titulo tenus sunt Christiani; quique hypocrisi cordis nequitiam inanibus fucis tegunt, vtrosque sub hac ipsa ratione ponit: nimirum, nihil sanctum ab ipsis prodire, sed prorsus dãnabile,ex Haggæo primùm:

8 Deinde ex Isaia,& Augustino.

9 Ad quartam classem veniens, eorum scilicet, qui Spiritu Dei regenerati,veram sanctimoniam meditãtur, eos fatetur Spiritus sancti ductu in vijs Domini ambulare: nihil tamen ab illis tam perfectum prouenire, quod nõ aliqua carnis impuritate respersum ac corruptũ sit: præsertim,quoties nobis cum iudicio Dei negotium est.

10 Deinde, etiamsi fieri posset, vt aliqua nobis essent omnino pura absolútaque opera, vnum tamen peccatum satis esse, ad delendam extinguendámque omnẽ memoriam prioris iustitiæ:ideóque operibus nullo modo posse nos iustificari.

11 Postremo,Scripturam manifesto docere,vtcunque bonis operibus polleant fideles, sola tamen fide, & gratuita iustitiæ imputatione,iustificatos esse.

12 Subterfugium, quo se expedire Scholastici conantur, quum dicant non tanti esse intrinseca dignitate bona opera,vt ad iustitiam comparandam sufficiant:sed hoc esse acceptãtis gratiæ, quod tantũ valeãt,refutatur.

13 Nulla opera nostra nos Deo acceptos gratosque

illa ratione tollitur, nempe si fidem tollas. collapsa enim fide, nullam promissionis vim esse: fide autem stante, & promissionem quoque abundè confirmatam esse. hoc primùm ex Aug. probat.

5 Deinde ex ipso Paulo: vbi etiam hoc ipsum oppositio illustrat; nempe, non ideo iustos esse, quia regeniti spiritualiter viuimus, quia regeneratio nostra semper mutila est in hac carne. fidem verò, quoad iustificationem, rem esse merè passiuam nihilque adferre nostrum ad conciliandam Dei gratiam; sed, à Christo recipere quod nobis deest.

CAP. XIIII.

Quale initium iustificationis & continui progressus.

Quò melius hæc quæ dicta sunt intelligantur, qualis possit esse tota vitæ decursa hominis iustitia, discutiendum suscipit, omnesq; homines in quatuor classes distribuit, ac de singulis seorsum agit: de prima 1-6: de secunda & tertia coniunctim. 7. & 8. de quarta 9-21.

PRIMAM, eorum esse, qui nulla agnitione præditi in idololatria demersi sunt. in istis, à vertice capitis, ad plantam vsque pedis, scintillam boni non reperiri: speciem quoque sanctitatis nullius coram Deo pretij esse.

2 Multum tamen intereſse inter quosdam melioris notæ, & alios quosdam deploratissimos: dona quoque Dei esse, quæcunque in incredulis apparent egregiæ dotes: &, præsentis vitæ benedictionibus eos prosequi Deum, qui inter homines virtutem colunt.

3 Quicquid ab incredulis fit, quantumuis laudabile videatur, duplici tamen ratione corruptum esse: cordiũ scilicet impuritate, & quòd rectum finem negligunt.

4 Quod ipsum aliter etiam ostendit: primùm, quia Christum non habent.

5 Deinde, naturali hominis conditioni, Dei gratiam egregiè opponendo: primùm scilicet, quia mortui; deinde quia nihil sumus, donec illius gratia illustrati, resuscitati, ac veluti de nouo conditi simus.

6 Po-

6 Postremò (etsi vereatur ne misericordiæ Dei iniurius fiat, qui tanta anxietate in ea asserenda laboret, perinde acsi dubia obscuraque foret) Isaiæ testimonio, & validissima ratione:idque vt vulgi errorem tollat; qui etsi fateatur, neminem promeritum fuisse, vt redemptionem suam Christus perageret, vt tamen redemptionis possessionem adeant, proprijs operibus adiuuari se putant.

7 Quos in duas proximas classes digesserat, eos vtique, qui Sacramentis initiati, vitæ impuritate Deum, quem ore confitentur, factis abnegantes, titulo tenus sunt Christiani; quique hypocrisi cordis nequitiam inanibus fucis tegunt, vtrosque sub hac ipsa ratione ponit: nimirum, nihil sanctum ab ipsis prodire, sed prorsus dānabile,ex Haggæo primùm:

8 Deinde ex Isaia,& Augustino.

9 Ad quartam classem veniens, eorum scilicet, qui Spiritu Dei regenerati,veram sanctimoniam meditātur, eos fatetur Spiritus sancti ductu in vijs Domini ambulare: nihil tamen ab illis tam perfectum prouenire, quod nō aliqua carnis impuritate respersum ac corruptū sit: præsertim,quoties nobis cum iudicio Dei negotium est.

10 Deinde, etiamsi fieri posset, vt aliqua nobis essent omnino pura absolútaque opera, vnum tamen peccatum satis esse, ad delendam extinguendámque omnē memoriam prioris iustitiæ:ideóque operibus nullo modo posse nos iustificari.

11 Postremo,Scripturam manifesto docere,vtcunque bonis operibus polleant fideles, sola tamen fide, & gratuita iustitiæ imputatione,iustificatos esse.

12 Subterfugium, quo se expedire Scholastici conantur, quum dicant non tanti esse intrinseca dignitate bona opera,vt ad iustitiam comparandam sufficiant:sed hoc esse acceptātis gratiæ, quod tantū valeāt,refutatur.

13 Nulla opera nostra nos Deo acceptos gratosque

reddere:id enim vnius Christi esse. eóque magis errare in ijs quæ tradunt, de sufficienda per supererogationis opera compensatione:primò, quòd satisfactionibus sublatis,& ista corruere necesse est.

14 Deinde, quòd longè aliud innuat dictum illud Christi, Cum feceritis omnia. &c.

15 Obiectionem, quam ex Pauli exemplo arripiũt, quòd inter Corinthios iure suo sponte cesserit, quod licebat alioquin si libuisset, vsurpare,nihil pro ipsis facere ostendit:primò, locum interpretando, deinde, generali doctrina ex Chrysostomo sumpta, Omnia nostra opera veluti seruorum peculia Domino deberi, tertiò, quòd supererogationes istorum nihil sint, quam vanissimæ nugæ.

16 Duas potissimum pestes hac parte ex animis abigendas esse: ne quid in operum iustitia fiduciæ ponant;ne quid gloriæ illis adscribant:exacta vero fiducia, gloriationem quoque omnem facessere,necesse esse.

17 E quatuor generibus causarum, nullum operibus in constituenda salute nostra conuenire, sigillatim ostendit.

18 Duo,quæ obijci possent,tollit: prius,quod innocentiæ integritatisque suæ memoria sæpiusculè sancti se confirment ac consolentur, nec etiam ab ea prædicanda interdum abstineant.quod etsi bifariam fiat, nihil tamen pro ipsis facere. ac primùm, quandoquidem non ita hoc sancti faciunt, vt operum fiducia innixi, gratuitæ iustificationi quicquam derogent:

19 Deinde, quia nihil aliud quàm à fructibus vocationis suæ, se in filiorum locum à Domino cooptatos esse reputant.

20 Concludit igitur, nec suo merito quicquam tribuere, nec quippiam derogare eos gratuitæ, quam in Christo consequuntur, iustitiæ. quod etiam illustrat insigni Augustini testimonio.

21 Alte-

21 Alterum, quod bona fidelium opera Scriptura causas faciat, cur illis Dominus benefaciat. causas quidem esse, sed inferiores: &, quæ à gratuita iustificatione pendent; ei minimè aduersantur. Deinde, istis locutionibus seriem magis, quàm causam notari.

CAP. XV.

Quæ de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in conferenda iustitia, quàm salutis certitudinem euertere.

POSTQVAM ostendit minimè sufficere opera ad hominem iustificandum, nunc discutiendum proponit, num apud Deum necne gratiam mereantur.

2 Operibus malè impositum esse à veteribus nomen Meriti: pium tamen sensum habuisse: ex Augustino, Chrysostomo, & Bernardo.

3 Bona opera & Deo placere, & authoribus suis adeo infructuosa non esse, vt vel amplissima Dei beneficia remunerationis loco referant: non tamen quia ita merentur, sed quia diuina benignitas hoc illis ex seipsa pretium statuit: quippe quæ ita in nos bona opera eorúmque laudem transferat, vt nihilominus apud eum quodammodo residere videantur.

4 Quomodo intelligendi sunt duo loci, nempe, de misericordia vnicuique locũ faciente secundũ meritum operũ suorũ. Eccles. 16. b. 14. & de eo quod Apostolus misericordiam inter hostias quibus deum promereamur, ponat. Hebr. 13. a. 2. quibus ad errorem suum confirmandum Papistæ abutuntur. eumque sensum ni recipiant, eos in communem Scripturæ doctrinam dupliciter peccare.

5 Quod quidem ex eo probat, quòd Paulus Christum vnicum fundamentum vocat: sic enim fundamentum esse, vt in illo omnia habeamus, in nobis nihil, figillatim ostendit.

6 Scholasticos longè aliter iampridem instituisse

orbem: Christum scilicet meruisse nobis primam gratiam, hoc est, occasionem merendi; iam verò nostrarum partium esse, occasioni oblatæ non deesse: quasi ipse tantùm ianuam aperuisset, nobis interim relinquens, vt nostro marte ingrediamur.

7 Hinc & alia quædam secuta esse: primùm, quòd iustificationē fidei nobis auferant: deinde, quòd ex vi liberi arbitrij bona opera elicientes, in laude bonorū operum Deo suffurantur, quod ad hominem trāsferant: tertiò, quòd etsi assiduè inculcent bona opera, sic tamen interim conscientias instituunt; vt confidere nūquā ausint, Deum se propitium & fauentem suis operibus habere.

8 Concludit, fundamentum quod posuit, abundè sufficere, cùm ad doctrinam & exhortationem, tum etiam ad consolationem.

CAP. XVI.

Refutatio calumniarum quibus hanc doctrinam odio grauare conantur Papistæ.

SE nō propterea bona opera abolere, quod neget eos per opera iustificari.

2 Illud quoque falsissimum esse, abduci hominum animos ab effectu benè agendi, quum illis merendi opinionem tollimus, duplici ratione probat.

3 Hanc methodum docendi magis valere ad vitæ puritatem, quàm si ingerendis meritis coacta aliqua legis obsequia extorseris: quamuis & hoc genus exhortationis vsui sit, & in Scriptura vsurpatum.

4 Futilissimā denique calumniā esse, inuitari ad peccādum homines, quum gratuitam peccatorum remissionem in qua collocatam dicimus iustitiam, affirmamus.

CAP. XVII.

Promissionum Legis & Euangelij conciliatio.

QVI, vt iustificationē fidei subuertant, promissiones legales pro se afferunt, atque ita ex ijs ratiocinā-

tur;

tur; aut benedictiones eiusmodi otiosas ac infructuosas fieri, aut non solius esse fidei iustificationem, hoc modo retundit, quod quicunque iustificationem adipisci volunt, è potestate legis exire necesse est.

2 Id exemplo Pauli & Dauidis confirmat.

3 Promissiones igitur legales, si in se considerentur; vel ad operum nostrorum merita respiciant, efficaciam suam ad nos non proferre, & quodammodo aboleri. sed dum promissiones Euangelicæ substituuntur, non modò efficere, vt ipsi Deo accepti simus, sed vt operibus quoq; nostris sit sua gratia: idque ex tribus diuinæ liberalitatis causis; quibus fit vt accepta sint fidelium opera.

4 Petri locum de Cornelio quem pro se afferunt, nihil minùs, quàm, præparari hominem ad recipiendam Dei gratiam bonorum operum studio, probare: at contrà (quum duplex sit hominis apud Deum acceptio, prior, cum nihil in homine reperiens præter vnicam miseriam, eum tamen pro immensa bonitate sua gratis recipiat:

5 Posterior, quum illa regenerauit, ac reformauit in nouam vitam, vt nouam creaturam Spiritus sui donis exornatam, atque adeò suam ipsius imaginem amplectitur, de qua Petrus loquitur hoc loco) clarissimè ostendere, Cornelium priùs fuisse gratuitò acceptum, quàm bona eius opera accepta esse possent: atque hunc esse sensum similium locorum, qui clementem ac misericordem iustitiæ cultoribus Deum testantur.

6 Vt autem eiusmodi loci meliùs intelligantur, primùm animaduertere nos iubet, sítne promissio Legalis, an Euangelica: has enim vtrasque non vno eodemque sensu accipiendas esse. Legales enim semper sub conditione, Si fecerimus &c. remunerationem denunciare: Euangelicas verò, etsi eiusmodi ferè verbis proferantur, vt quum dicitur Dominus custodire [a] pactum misericordię ijs qui se diligunt. &c. magis tamen demonstrare quales

[a] *Quacunq; pacta misericordiæ mentionem faciunt, hoc ipsò innuunt, promissiones suas Euangelicas esse.*

sunt illius serui, qui bona fide eius fœdus susceperint, quàm exprimere causam cur illis Deus benefaciat.

7 Deinde, de duobus eiusmodi locutionum generibus speciatim agit: primùm de ijs quæ bona opera iustitiæ titulo insigniunt. eas scilicet eiusmodi opera respicere, non tam respectu eorum, vt ab hominibus fiunt, quàm vt in lege præcipiuntur. eo etenim sensu non mirum esse si iustitiæ titulo ornentur, quum & legis obedientia absolutam iustitiam contineat,& mandati vniuscuiusque obseruatio,iustitiæ partem.

8 Tum etiam de altero, eorum scilicet, quæ bonis operibus hominem asserunt iustificari. ac primùm statuit,opera per se nihil valere; solaque fide nos iustificari: vbi verò fideles hanc gratuitam iustificationem adepti sunt,quæ iam sequuntur bona opera, aliam, quàm à suo merito,æstimationem habere, nec falsò iusta censeri,aut in iustitiam imputari.

9 Id quò meliùs euincat,cornuto argumento sic aduersarios vndique constringit,vt nullo modo elabi queant: nempe,si iustitiam operum ad impugnandam fidei iustitiam obiectent,multis modis eos adigi posse,vt fateri cogantur,nullum opus extare, quod non & appositis sibi transgressionibus,& sua ipsius corruptione pollutum sit,ne iustitiæ honorem teneat: sin à iustificatione fidei proficisci concedant, vt opera, impura alioqui, iustitiæ imputentur, aut solam fidei iustificationem agnoscant, sine qua iustitia operum nulla est; aut ex sua operum iustitia,vipereum partum faciant ne cesse est.

10 Hoc ipsum argumentum pleniùs prosequitur, concedens,hac ratione, non partialem modò iustitiam in operibus esse(quod volunt aduersarij)sed perinde approbari Deo,ac si perfecta absolutaque foret: quoniam tamen iustificatio fidei fundamentum est, eam non debere erigi ad hanc destruendam. Sola quippe fide, non tantùm nos,sed & opera nostra iustificari.atque hanc operum

perum iuſtitiam eſſe, quam Scriptura toties prædicat.

11 Quòd ex Iacobo aduerſus hanc doctrinam nonnihil proferre ſatagunt, primùm eorum audaciam ſalsè ridet, qui dum fidei iuſtificationem arrodunt, atq; adeò Paulum cum Iacobo in certamen protrahunt, nullam interim conſtituant iuſtitiæ metam, vbi conſcientiæ tranquillæ ſiſtantur. Deinde commonſtrat quis fuerit Apoſtoli ſcopus, &, vbi aduerſarij hallucinantur: nimirum in duplici paralogiſmo; primùm fidei:

12 Deinde Iuſtificationis: Apoſtolum enim de iuſtitiæ declaratione, non autem imputatione (vt ipſi putarunt) loqui: nec diſputare, qua ratione iuſtificemur; ſed iuſtitiam operatricem à fidelibus requirere.

13 Quod ex Paulo obijciunt factores legis, non auditores iuſtificari, non aliò tendere, quàm vt ſtolida confidentia Iudæos deijciat Apoſtolus, qui ſola Legis agnitione ſe venditabant, quum interim ſummi eſſent eius contemptores: &, in ipſorum caput torqueri poſſe.

14 In ijs locis, quibus ſuam iuſtitiam fideles examinandam Dei iudicio audacter offerunt, ac ſecundum eam de ſe ſtatui cupiunt, duo eſſe conſideranda: nec omnem vitam, ſed ſpecialem aliquam cauſam in iudicium afferre; nec diuinæ perfectionis reſpectu, ſed ex improborum comparatione, iuſtitiam ſibi arrogare. ita eos non repugnare gratuitæ fidei iuſtificationi.

15 Quòd alijs quibuſdam locis, vijs fidelium iuſtitiam & vitam adſcribere volunt, malè eos ratiocinari. fidelium tamen integritatem gradum eſſe ad immortalitatem: id verò paterna benignitate; non quod ipſorum opera, vt Scholaſtici ſomniant, in æqualitatis pretiũ Dei acceptione euehantur.

CAP. XVIII.

Ex mercede malè colligi operum iuſtitiam.

EAs ſententias, quæ affirmant Deũ vnicuiq; redditurum ſecundum opera ſua, ordinem & cõſequentiam

magis,quàm causam indicare.

2 Eas similiter, quæ mercedem operum appellant vitam æternam,opera salutis causam non facere,ab hæreditatis natura ostenditur, insigniq́ue exemplo confirmatur, ijs bonis remunerari Dominum fidelium opera, quæ illis ante cogitata opera dederat.

3 Neque tamen ludere nos Dominum, quum ait se operibus rependere,quod gratis ante opera donauerat: sed ritè illis assignare promissionũ fructus, ad cuius maturitatem,ordine ab ipso posito, nos perducunt.cauendũ tamen,ne putemus ad meriti modum redigi, quam nobis Dominus mercedem pollicetur. notatu quoque dignum,in his locis vbi vita æterna merces operum vocatur,vitam illam, non tam accipi pro communicatione nostra cũm Deo, quæ præcedit; quàm pro beatitudinis, quæ sequitur,possessione vel fruitione.

4 Quum Scriptura vitam æternam vocat operum mercedem,non id facere,vt operum nostrorum dignitatem commendet,acsi talem mercedem mercantur: sed, vt nostræ imbecillitati occurrat,quam tot erumnis,dum hîc viuimus,aliâs exercet.

5 Scripturam,præterquam quòd in operibus gloriari vetat, quia sunt gratuita Dei dona, ea simul fœcibus quibusdam ita semper inquinata esse docere, vt Deo satisfacere non possint,si ad iudicij eius regulam examinentur: sed,ne concidat nobis alacritas,mera venia placere,& promissione coronæ sustineri.

6 Superioribus locis explicatis, ad alios magis particulares descendit.ac primùm,duobus illis Luc. 16.9. & 1.Tim.6.17.respondet,nihil aliud significari,quàm,vt nostrum esse doceant, si cœlum patriam esse credimus, illuc potiùs transmittere opes nostras,quàm hîc retinere, vbi subita migratione amittendæ sunt.

7 Quod ex duobus alijs locis obijciunt 2. Thes. 1.5. & Heb.6.10. fideles per afflictiones dignos haberi regno Dei,

Dei, iustumque esse apud Deum relaxationem illis reddere; item, Deum non esse iniustum qui operis illorum obliuiscatur, neque ad dignitatem meriti extendi debere; sed tantùm, quia stigmata Domini portant, quæ sunt filiorum Dei signa: neque iustitiam de qua loquitur, ad reddendam debiti æquitatem; sed ad promissionis diuinæ veritatem referri.

8 Tribus alijs locis 1.Cor.13.2. & Ibid.13. & Col. 3. 14. respondet: primum locum non de vera fide loqui, atque ita nihil ad hoc negotium pertinere: secundum, non ita primas charitati tribuere, tanquam ad iustificationem sit magis meritoria (hoc enim nec fidei secundum dignitatem operis; sed tantùm misericordiæ Dei, & merito Christi deberi:) tertium, & alio sensu perfectionis vinculum charitati tribuere, &, vtcunque accipiant, nihil tamen pro ipsis facere.

9 Reliquis omissis (quòd ea nimis ridicula existimet) quòd Christum obijciunt, iussisse quendam per mãdatorum obseruationem regnum Dei acquirere, Mat. 19.17. duplici ratione æquum esse docet, vt ita responderet; nec tamen pro operum iustificatione quicquam facere.

10 Postremò, cauillo respondet, quòd obijciunt nos perperam fidem opponere operibus, quòd fides alicubi opus vocatur: &, axioma illud dialecticorum, Contrariorum eandem esse regulam, contendit hîc non valere, quum eò torquere volunt, vt quemadmodum peccata singula, iniustitiæ nobis vertentur, ita consentaneum esset, vt singulis quoq; bonis operibus, laus iustitiæ tribuatur.

CAP. XIX.

*De libertate * Christiana.*

* *Vbi etiam de Scandalo, & Conscientia agitur.*

HANC doctrinam adeò necessariam esse, vt quamuis impij & Lucianici homines eam lepidè suis dicterijs exagitent, eius tamen defensio non sit deserenda, vt hu-

iusmodi periculis oportunitatem præcidamus.

2 Christianam libertatem in tribus partibus sitam esse. Primam esse, vt fidelium conscientiæ, dum fiducia suæ coram Deo iustificationis quærenda est, sese supra legem erigant atque efferant, totamque legis iustitiam obliuiscantur.

3 Id totam ad Galatas Epistolam comprobare, ex tribus illis præcipuis capitibus in quibus versatur, manifestum esse.

4 Secundam ex prima pendere, nempe, vt conscientiæ, non quasi Legis necessitate coactæ, Legi obsequantur; sed Legis ipsius iugo liberæ, voluntati Dei vltro obediant. id fieri non posse quandiu sub Lege sumus.

5 Vbi verò ab hac seuera Legis exactione liberamur, hilares & magna alacritate nos posse Deo vocanti respondere.

6 Hanc libertatis nostræ partem annotasse Apostolos. finem eius esse, vt nos, non ad malum accendat, sed, ad bonum animet.

7 Tertiam, vt nulla rerum externarum, quæ per se adiaphora sunt, religione teneamur: quin eas nunc vsurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Huius partis cognitionem apprimè necessariam esse, ne vel desperatione in confusam voraginem abripiamur; vel contempto Deo, & abiecto eius timore, viam nobis ruinæ faciamus, quam non habemus expeditam.

8 Hoc ipsum prosequitur ac fusiùs explicat.

9 Hanc libertatem Christianam spiritualem esse, totamque eius vim in formidolosis conscientijs coram Deo pacificandis positam esse. Duo esse hominum genera qui in eam peccant: vnum eorum esse, qui suis cupiditatibus eam prætexunt, vt bonis Dei donis abutantur in suam libidinem.

10 Alterum eorum, qui nullam esse putant, nisi coram hominibus vsurpetur: ideoque in ea vtenda nullam

lam infirmorum fratrum rationem habent.

11 Hac occasione de Scãdalis dicturus, eorum duo genera facit, datum, & acceptum: quorum alterum infirmorum, alterum Phariſæorum appellat: &, quale ſit vtrunque oſtendit.

12 Qui nobis infirmi, & qui Phariſæi habendi ſunt, oſtendit cùm doctrina, tum exemplo ipſius Pauli. quoſdam verò peruerſè Paulum imitari.

13 Quicquid de cauẽdis offendiculis docuit, ad res medias & indifferẽtes referri debere: quæ verò neceſſaria ſunt factu, nullius offendiculi timore omittenda eſſe.

14 Hac prærogatiua factum eſſe, vt, nullis obſeruationum laqueis, cõſcientiæ fideliũ in ijs rebus implicentur, in quibus eas eſſe liberas Dominus voluit, & omniũ hominum poteſtate eximantur. Vtrunque tamen nõ ita accipi debere, quaſi vniuerſa ſimul tollatur ac ſubuertatur hominum obedientia.

15 Ad eum lapidem ne quis impingat, animaduertendũ eſſe duplex eſſe regimen; ſpirituale, & politicum: & quomodo hæc inter ſe diſtinguenda ſunt. Leges etiam quæ ad ſpirituale regnum ſpectant, conſiderandas eſſe, ſintne verbo Dei cõſentaneæ, necne. omiſſa autem tractatione cum de regimine ciuili, tùm etiã de legibus Eccleſiaſticis, donec oportunior ſe offerat dicendi locus, quò meliùs oſtendat, quatenus humanis cõſtitutionibus ligentur cõſcientiæ, primùm oſtẽdit quid ſit cõſcientia.

16 Deinde, quam relationem habeat ad externam obedientiam: primùm in ijs rebus quæ per ſe aut bonæ ſunt, aut malæ; deinde in medijs.

CAP. XX.

De Oratione, quæ præcipuum eſt fidei exercitium, & qua Dei beneficia quotidie percipimus.

Hoc caput, mea quidem ſententia, in ſex præcipuas partes diſtribuere licet. nam primùm regulas quaſdam ponit, 1-16. deinde de Sanctorum

mortuorum inuocatione agit, 17-27. Tertiò ostendit quotuplex sit oratio, & de singulis pauca disserit, 28, 29. Quartò accidentia quadam orationis pertractat, 30-33. Quintò Orationem Dominicam enarrat, 34-49. Postremò alia quadam orationis annectit, 50-52.

DE Oratione dicturus, primùm tractationis suæ filum superioribus annectit: nempe, quum ex ijs quæ dicta sunt perspicuum sit, & hominem omnium bonorum adeò inanem esse, & Deum in Christo suo exhibere quod nobis deest, vt si quis præsidia quærat quibus inopiæ suæ succurrat, extra se exeat oportet, & ad Deum solùm contendat, hinc sequi, vt quod nobis apud nos deest, in ipso quæramus & ab ipso precibus postulemus.

2 Orationem admodum necessariam esse, eiusque beneficio nos obtinere, vt ad eas quæ nobis apud cælestem Patrem repositæ sunt opes, penetremus.

3 Dominum inuocandum esse, etsi nec monitore egeat, &, quibus egemus vltrò largiri paratus sit.

4 Primam ritè probeq; instituendæ precationis legem esse, vt nõ aliter quàm eos decet, qui ad Dei colloquium ingrediuntur, mente animoque compositi simus.

5 Hic igitur videndum, vt leuitate omni deposita, studia sensusque nostros seriò ad orandum applicemus: deinde, ne petamus nisi quantum Dominus permittit. Hæc quia nostro marte non possumus, vt imbecillitati nostræ succurrat Deus, Spiritum suum in precibus nobis dedisse magistrum, qui dictet quod rectum est, atque affectus nostros moderetur: non tamen vt orandi prouinciam ad Dei Spiritum relegantes, ipsi interim torpeamus.

6 Alteram esse, vt rogãdo semper inopiam nostram vere sentiamus, ac seriò cogitantes, omnibus quæ petimus nos indigere, serium, imò ardẽtem impetrandi affectum iungamus cum ipsa oratione. Duo igitur vitia cauenda: ne preces defunctoriè ex formula recitemus; vel

sine

ſine meditatione, litandi Deo gratia demurmuremus.

7 Nec obſtare, quòd non ſemper æquali neceſſitate vrgeamur ad precandũ. ſemper enim conditionem noſtram eiuſmodi eſſe, ſiue temporalia noſtra, ſiue multò magis ſpiritualia contemplemur, vt eadem ſemper nos maneat oportunitas: adeo vt, niſi peccatorum ſeriò pœniteat iuſtiſſimum quenque, oratio eius ſit execrabilis.

8 Tertiam eſſe, vt omni propriæ gloriæ cogitatione ſe abdicet, omnem dignitatis opinionẽ exuat, omni denique ſui fiducia decedat, quiſquis ſe coram Deo ſiſtit precandi gratia, dans in abiectione ſui gloriam Deo in ſolidum: ne ſi quid, vel minimum arrogemus nobis, cum inani noſtra inflatione ab eius facie concidamus. quod etiam exemplis quibuſdam illuſtrat.

9 Hinc ſequi, vt ad miſericordiam Dei confugere, & veniam deprecari, cum humili & ingenua culpæ confeſſione, ſit ritè precandi initium ſimul & præparatio. Hoc verò dupliciter fieri ſolere: primũ in genere, quod ad omnes peræquè ſpectat; deinde ſpeciatim, quum peccata quiſpiam deprecetur, vbi pœnarum leuationem optat, vt ſublata cauſa, tollatur effectus.

10 Nec obſtare, quòd propriè iuſtitiæ ſuffragium interdum, ad exorandum Deum citare ſancti videntur: idque duplici ratione fieri.

11 Quartam eſſe, vt ita proſtrati & ſubacti vera humilitate nihilominus certa ſpe exorandi, ad orandum animemur: vt proprijs malis oppreſſos, ſola Dei bonitas erigat. Fiduciam ergo, non quæ omni anxietudine eximat, ſed quæ miſericordia Dei certò nitatur, maximè neceſſariam eſſe.

12 Aduerſarios, hanc doctrinam de certa ſpe exorandi, pro abſurdiſſima habere: Spiritum verò ſanctum nos ita inſtituiſſe. nec cum ea pugnare, quòd iſtæc certitudo, cum miſeriæ, egeſtatis, ſordiumque noſtrarum agnitione connectitur.

13 Cùm Dominus primùm orare præcipiat, deinde & præcepto promissionem adiungat, & rebelles, & infideles esse, quicunque tergiuersantur, ne rectà ad Deum veniant: vtcunque hypocritę quidam humilitatis, & modestiæ laudem, eo nomine captant.

14 Selectis quibusdam promissionibus demõstrat, quàm ardenter liberalitatem Dei vltrò nobis oblatam amplecti debeamus. nec obstare, quod non excellimus pari sanctitate quæ laudatur in sanctis Patribus, quibus promissiones istæ factæ sunt. & quicunque Deum, cum datur occasio, non inuocant, idololatras esse, quoscunq; colores obtendunt. quòd probè cum metu, reuerentia, solicitudine quadret intrepidus precandi spiritus, rectè fideles dicuntur, preces suas & prosternere, & leuare.

15 Huic doctrinæ nõ aduersari, quod votis quibusdam Deus morem gesserit, quorum alia ex animo minimè composito & sedato eruperunt, alia nullo Dei verbo innixa, alia cõtra manifestam prohibitionem concepta sunt. & quanuis ad imitationem nobis proposita nõ sint eiusmodi exempla, amplissimum tamen fructum ad nos inde prouenire: & quo sensu eiusmodi facilitas Dei sit accipienda.

16 Quatuor illas ritè precandi leges non ita exigi summo rigore, vt preces repudiet Deus quæ in eas regulas nõnihil peccarunt, ostẽditur exemplis quibusdam ex vnoquoq; genere desumptis. non tamen, vt sibi quicquam securè condonent fideles, sed vt seipsos seuerè castigando, contendant superare hæc obstacula.

17 Indignitatis nostræ ergò, Christum nobis aduocatum & mediatorem datum esse: &, impetraturos nos esse, quod eius nomine petierimus: nec aliò quàm eius nomine Deum inuocandum.

18 Etsi Patres omnes ab initio per hunc solum exauditi sunt, hanc tamen gratiã optima ratione ad ascensionem Christi potissimùm restringi.

19 Qui

19 Qui ab hac via deflectunt, & hunc acceſſum deſerunt, ijs neque viam vllam, nec acceſſum ad Deum ſupereſſe. Hac tamen ratione mutuam ſanctorum in terra interceſſionem non excludi.

20 Sophiſtarum nugamentum, Chriſtum ſcilicet eſſe, redemptionis Mediatorem, fideles autem interceſſionis, clariſſima authoritate & Scripturæ, & Auguſtini conuellit.

21 Sanctos mortuos non eſſe ſtatuendos pro nobis interceſſores, primùm firmiſſima ratione, deinde, quod non tantùm Scripturæ, ſed etiam omni alia authoritate deſtituatur, tertio, ab effectis turpiſſimis probat: deinde, authoritate Ambroſij hoc ipſum illuſtrat, & quoddam effugium illis tollit.

22 Tot errorum portenta ex hoc vno errore nata eſſe, vt hîc expreſſum habeamus ſuperſtitionis ingenium, ſemper in deterius dilabens: idque tribus gradibus oſtendit, vltimo eorum tribus exemplis, & concilij Carthaginenſis refutatione illuſtrato.

23 Ad argumenta eorum veniens, quod primùm ab officio & munere Angelorum ratiocinantur, deinde à loco Ieremiæ 15.1. vtrunque diluit.

24 Similiter & illud, quod eos pro culdubio pro nobis orare, contendant, ni omni pietatis voto eos exuamus, qui nihil toto vitæ decurſu, quàm pietatem & miſericordiam ſpirarunt: id multis rationibus conuellit.

25 Tum etiam & illud, quod Iacob rogaret, vt ſuum, Patrumque Abraham & Iſaac nomen, ſuper ſuam poſteritatem inuocaretur, primum interpretando, deinde veluti regerendo. vbi etiam & aliud non valde diſſimile nempe, quod rogaretur Deus, vt in Dauidis gratiam populi miſereretur, in ipſorum caput retorquet.

26 Poſtremo & illud, quod nonnulli eorum obijciant Sanctorum orationes ſæpe exauditas eſſe, præpoſterè ratiocinantes, non exauditum iri, niſi qui ſemel ex-

auditi sunt, hoc primùm interpretatur, deinde & suam interpretationem Scripturæ authoritate confirmat, exemplis illustrat.

27 Atque ita concludit, istam Sanctorum inuocationem multis nominibus sacrilegam esse.

28 Orationem, de qua hactenus locutus est, etsi propriè ad vota & preces restringitur (adeoque ea omnia quæ hactenus docuit, ad eam speciem maximè spectét) non tamen ad ea tantùm restringi; sed ad laudem quoque & gratiarum actionem extendi debere. hanc enim alteram esse orationis speciem, & nobis continenter in vsu esse debere, non minùs ac priorem illam de votis. quod quidem multis rationibus, testimonijs, & exemplis abundè probat.

29 Vbi de singulis hæc dixerit, nunc vtranque speciem connectens, de precibus publicis & priuatis differit. assiduitatem, etsi ad priuatas magis, tamen ad publicas etiam pertinere; & expedire, vt ijs condictas horas habeamus. battologiam & ostentationem cauenda esse, & secessum quærẽdum. in omnibus locis orare nos posse: nec tamen aut publicas, aut priuatas negligendas esse, sed vtrasque semper coniungendas.

30 Conuentus sacros in honore habendos: templorum vsum legitimum esse, vt sacri conuentus in ijs peragantur: duplicem verò superstitionem cauendam esse.

31 Vocem & cantum in oratione nullius esse momenti, nisi ex alto cordis affectu profecta. Vocem quoque ad publicas preces magis quàm priuatas pertinere.

32 Canendi ritum vetustissimum esse: debere verò ad eam, quæ Dei & Angelorum conspectum decet, grauitatem componi: & cauendum esse, ne modulatio abducat à sensu.

33 Non exotico, sed populari sermone concipiendas esse cùm publicas, tum etiam priuatas orationes. vocem

cem & geniculationem tum demum decere, cùm ab ardore mentis exprimantur.geniculationem,& capitis detectionem exercitia esse, quibus ad maiorem Dei venerationem assurgere conamur.

34 Orationem Dominicam aggressus, eam contendit duplici ratione immensam Dei bonitatem nobis depingere:magnumque consolationis fructum ad nos inde prouenire.

35 Eam sex tantùm petitionibus constitutam esse, ac bifariam rectè diuidi posse.

36 Quòd *Pater* noster appellari se velit, omni diffidentia nos eximere debere. nec posse nos aliunde subsidia, quàm ab ipso quærere, nisi exprobrata illi egestate ac facultatum inopia, vel sæuitia nimiaque austeritate.

37 Nec causari nos posse, peccatorum conscientia meritò nos timidos reddi,quæ Patrem, quanuis clemẽtem ac mansuetum,tamen nobis offensum quotidie reddant,primùm ratione, deinde exemplo, postremò,quòd *noster* dici voluit,euincit.

38 Quòd *nostrum* in commune omnes vocare doceamur, ad fraternam dilectionem erga omnes, nos inuitare debere:quod etiam similitudine exornat.

39 Nec id tamen obesse, quominus pro nobis, & pro certis alijs orare specialiter liceat, modo tamen animus ab huius communionis intuitu non discedat: quemadmodum in erogatione facultatum, licet ratio istius ab oratione paululum differat.

40 Quo sensu in cœlis esse dicatur: &,quàm multiplex tã consolatio, quàm eruditio ad nos inde accrescat.

41.42.43 Tres priores petitiones enarrat: illud etiam in fine addens, in illis poscendis solam Dei gloriam præ oculis habere nos debere:nec esse eius filios,qui eius honori, quantum in se est,non studeant.

44.45.46. Tres reliquas sigillatim enarrat.

47 Istarum petitionum formam ostendere,Christi-

anorum preces publicas esse debere. Quod sequitur, *Quia tuum est regnum &c.* causam esse, cur tanta sit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi. Denique quo sensu addatur *Amen.*

48 Quicquid à Deo petere debemus, ac omnino etiam possumus, hac formula descriptum esse: quique vltra progrediuntur tripliciter peccare.

49 Posse nos tamen alijs verbis si placet orare, modò quoad sensum nulla fuerit discrepantia.

50 Certas horas, modò absit superstitio, imbecillitatis nostræ causa constitui & posse, & conuenire: interim tamen solicitè curandum, vt quauis occasione oblata precemur: tamen Deum certis circumstantijs alligare, nos non debere.

51 Si animis in hanc obedientiam compositis, prouidentiæ diuinæ legibus nos regi patimur, facilè nos posse in oratione perseuerare; & cauere ne obmurmuremus Deo, si votis omnia non respondeant.

52 Semper nos precibus nostris impetrare, quod maximè expediebat: atque hoc quidem cognitu valde necessarium esse.

CAP. XXI-XXIIII.

His quatuor capitibus ita Electionem pertractat, vt primò, doctrinam ipsam tradat 21. Deinde, confirmet 22. tertiò, calumnias refutet. 23. postremò, ostendat qua ratione statuere liceat, simus, necne, electi, nempe, si vocationem mutuamur, 24.

CAP. XXI.

De Electione æterna, qua Deus alios ad salutem, alios ad interitum prædestinauit.

DOCTRINAM electionis siue prædestinationis, & necessariam & suauissimam esse: tres habere insignes vtilitates. curiosos verò primum temeritati suæ frænum injcere oportere, quum in hanc inquirant.

2 Quod Augustini sententia, & admonitione Christi, ac Solomonis, demonstratur.

3 De-

3 Deinde & alios, qui perperam modeſti ſunt, in eo peccare, quod à qualibet prædeſtinationis quæſtione, non ſecus atque à ſcopulo refugere docent. optimum enim ſobrietatis terminum eſſe, ſi in diſcendo præeuntem ſequamur Deum, & ipſo finem docendi faciente, ſapere velle deſinamus.

4 Nec tanti eſſe, quod pro ſe afferunt, profanos homines in eam impingere: quin ſemper noſtrũ ſit, quæ in apertũ protulit Dominus minimè negligere; quẽ admodũ ex altera parte nõ decet ſcrutari, quæ in occulto recõdita Deus reliquit: primùm, quod in multis alijs profani homines hoc ipſum facerẽt, deinde, quod hoc pacto Dominũ quoq; ſtultæ incogitãtiæ oblique inſimulemus.

5 Eoque liberiùs nos hanc doctrinam profiteri debere, quod nemo ſit qui audeat prædeſtinationem ſimpliciter negare; ſed tantùm cauillis inuoluere. quales ſunt, qui Præſcientiam Dei faciũt prædeſtinationis cauſam. qua occaſione oſtendit, quid ſit præſcientia, quid item prædeſtinatio; &, non præſcientiam, ſed beneplacitum Dei, prædeſtinationis cauſam eſſe: id vero primùm, ex libera electione ſobolis Abrahæ, & aliorum omnium reprobatione.

6 Deinde, quod ex illis ipſis quoſdam repudiauit, quoſdam ſpeciali gratia dignatus eſt.

7 Poſtremo, quod in Chriſtianis quoque hoc ipſum factum eſſe Paulus contendat; vſque ad ſingulas perſonas. inde concludit, immutabili conſilio Deum ſemel cõſtituiſſe; quos olim aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio deuouere.

CAP. XXII.

Confirmatio huius doctrinæ ex Scripturæ teſtimonijs.

Primùm doctrinam hanc confirmat 1-7. Deinde obiectiones quaſdam diluit, 8-11.

ALIOS eſſe qui exiſtimant Deum, prout cuiuſque merita fore prouidet, alios in filiorum locum coop-

tare, alios mortis damnationi deuouere: alios verò, qui litem Deo intendant, quòd quosdam suo arbitrio eligés alios prætereat. hos vbi firmissimis rationibus, & Augustini authoritate prostrauit, vtrunque, primùm ex loco Pauli ad Ephesios 1.4. probat: non tantùm electos quosdam esse ad vitam æternam, sed etiam absque omni dignitatis propriæ respectu.

2 Quoque solidior sit probatio, singulas eius loci partes explicat, & ad propositum suum accommodat.

3 Dei placitum ita in electione regnare, vt nulla in considerationem opera veniant; nec præterita, nec futura.

4.5 Deinde idipsum probat ex alio loco Pauli ad Romanos cap. 9. 6. 11.

6 Quod excipiunt ab huiusmodi inferioribus & minutis beneficijs statuendum non esse de summa futuræ vitæ, respondet, voluisse Deum spiritualem Iacob electionem terreno symbolo declarare. efficaciam vero electionis pertinere, non ad vniuersam multitudinem, sed ad fideles quos populum prænognitum Paulus appellat. vbi ea occasione exponit, qualis sit illa prænotitio vel præscientia Dei, nõ speculatiua, sed actiua, vt loquũtur.

7 Postremo, hoc ipsum ex ipsius Christi verbis ostendit: Christum scilicet ita se electionis authorem cum Patre facere, vt mundum excludat, nullisque proprio marte vel industria excellere concedat.

8 Contra Ambrosium, Origenem, Hieronymum & Augustinum olim, perperam de hac re sentientes, & Augustini (qui Ambrosium etiam pro se citat) authoritate, & firmissima ratione ex Paulo, hanc ipsam doctrinam confirmat, gratiam scilicet Dei non inuenire eligendos, sed facere.

9 Futilem quandam Thomæ Aquinatis argutiam refutat: præscientiam scilicet meritorum, licet ex parte actus prædestinantis non sit, ex parte tamen nostra esse præ-

prædeſtinationis cauſam.

10 Quòd obijciunt, Deum ſibi fore contrarium, ſi vniuerſaliter omnes ad ſe inuitet, paucos verò electos admittat, reſpondet promiſſiones ſalutis non omnibus promiſcuè, ſed electis peculiariter deſignari: neque tamen inter ſe pugnare, quòd externa prædicatione omnes vocet, paucis verò donet reſipiſcentiæ & fidei ſpiritum (idque à ſe alibi explicatum; nempe Cap. 17.) multis teſtimonijs tam ex Scriptura, quàm Patribus quibuſdam, deſumptis probat.

11 Adeoque prædeſtinationis fundamentum, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem, non in operibus noſtris, ſed in Dei voluntate ſitum eſſe.

CAP. XXIII.

Refutatio calumniarum quibus hæc doctrina ſemper iniquè grauata fuit.

EORVM modeſtiam, qui, vt inuidiam à Deo repellant, electionem ita fatentur, vt negent Deum quenquam reprobare, puerilem eſſe. id quò meliùs appareat, oſtendit reprobationem non aliunde eſſe quàm à Deo.

2 Contra hanc doctrinam multa obijci ſolere: primùm, eſſe cur homines cum Deo expoſtulent, ſi creaturis ſuis iraſcatur, à quibus nulla antè offenſa prouocatus fuerit; citraque proprium meritum in æternam mortem prædeſtinet. huic proximis quatuor ſectionibus reſpondet: primùm, quum ita voluerit, non dubium eſſe, quin ſit iuſtiſſimum: Dei enim voluntatem ſummam iuſtitiæ regulam eſſe. non quòd abſolutam vel tyrannicam potentiam ei affingat: ſed quòd ſibimetipſi ſit Lex, & iniuſtus eſſe non poſſit.

3 Deinde, quòd reprobi, vt homines ſunt, adeò ſint omnes peccato vitiati, vt, non tantùm non poſſint non eſſe Deo odioſi, idque æquiſſima iuſtitiæ ratione; ſed etiam, & à proprijs conſcientijs æterna morte adeò digni

adiudicentur, vt velint, nolint, damnationis causam in se agnoscere cogantur; quantumlibet aliquoties data opera eam supprimant, & in Deum retorqueant.

4 Si contra hanc responsionem, vt solent, assurgant, contendentes, iustum non esse, vt hac sua corruptione perirent, quandoquidem in eam corruptionem quæ nūc pro damnationis causa obtenditur, Dei ordinatione prędestinati sunt, ostendit quomodo illis respondeatur ex loco Pauli: altiorem scilicet esse iustitiæ diuinæ rationē, quàm vt vel humano modo metienda sit, vel ingenij humani tenuitate possit comprehendi.

5 Hoc ipsum Augustini authoritate confirmat, & egregia prosopopœia exornat.

6 Secundum eorum obiectum esse, quum interrogant, Cur ea vitio Deus imputaret hominibus, quorum necessitatem sua prædestinatione imposuit. cui vt planè satisfaciat, duas responsiones profert & reijcit, tertiam à Valla mutuatam approbat.

7 Decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret homo, duplici ratione, & Augustini authoritate euincit.

8 Nec tantùm permisisse hoc Deum, sed etiam voluisse, & constituisse: nec tamen necessitatem istam, qua ex Dei prædestinatione constringuntur, eos excusatos facere, cùm nihil aliud sit prædestinatio, quàm diuinæ iustitiæ, occultæ quidem, sed inculpatæ, dispensatio: homoque sibi mortem æternam non ex Dei creatione, sed ex sua spontanea corruptione promereatur.

9 Hanc responsionem sufficere posse ad omnem obloquendi, non rationem tantùm, sed prætextum quoque adimendum; vtcunque semper impietas fremat & obmurmuret.

10 Quòd tertio loco obijciunt, ex hac doctrina prędestinationis sequi, vt sit apud Deum acceptio personarum, huic dupliciter respondet: primùm, interpretando quid sit personarum acceptio; deinde, ostendens nihil repug-

repugnantiæ istis inesse.

11 Confirmationem, quam pro sua sententia afferunt, non tantùm ratione, sed Augustini quoque authoritate diluit.

12 Quòd quarto loco obijciunt, omnem solicitudinem, & omne bene agendi studium, stante doctrina prædestinationis concidere, non esse verum, licet porci quidam eo prætextu in omnem turpitudinem sese proijciãt.

13 Huic admodum affine & illud, quod hanc doctrinam omnes ad piè viuendum exhortationes euertere calumniantur: quod quàm falsum sit, ex Augustino palàm facit.

14 Sic tamen temperandam esse veri docendi rationem, vt prudenter caueatur, quoad licet, offensio.

CAP. XXIIII.

Electionem sanciri Dei vocatione, reprobos autem sibi accersere iustum, cui destinati sunt interitum.

Huius capitis duas esse partes, vel ipsum argumentum palàm ostendit: quorum priore, de electis 1-11. posteriore, de reprobis agit 12-16.

ELECTIONEM, quam in scipso alioqui absconditam habet, vocatione demum sua Deum manifestare: in eaque nihil requirendum, præter gratuitam Dei misericordiam: hoc est, quemadmodum gratis elegit quos voluit, ita & gratis vocare quos elegit.

2 Vocationis naturam & dispensationem perspicuè ostendere, non aliunde eam, quàm à gratuita Dei misericordia prouenire.

3 Hic cauendum, ne aut nosmetipsos cooperarios Deo faciamus; aut electionem nostram dubiam, & inefficacem reputantes, donec fide nostra veluti sigillo confirmetur, eam suspendamus à posteriore: licet ex altera parte fide confirmetur, quoad nos; & quod nobis antè incognitum fuit, hoc modo elucescat.

4 Dum electionis nostræ certitudinem quærimus, non in abditos diuinæ sapientiæ recessus perrumpendũ esse, quò intelligamus quid sit de nobis constitutum apud tribunal Dei; sed vocationem potiùs consulendam esse, qua, seu tessera, vult nobis confirmare Deus, quantum de suo consilio sciri fas est.

5 Quandoquidem in Christo solo sumus electi, in eo solo inquirendam esse electionis certitudinem: neminemque de electione sua certum esse posse, nisi qui in vnum Christum recumbit.

6 Si indubiæ vocationis conscij sumus, certissimè nos statuere posse, nos esse electos. Quum verò contra hanc certitudinem loci quidam afferantur, priusquam illis respondeat, plurimis testimonijs confirmat, omni solicitudine & anxietate nos Christum liberasse.

7.8.9. Deinde locis ipsis respondet.

10.11. Electos ante vocationem non differre quicquam ab alijs. tantum abesse, vt, veluti quidam somniant, ab ipsa natiuitate insitum sit eorum cordibus semen aliquod electionis, cuius virtute semper ad pietatem timoremque Dei sint inclinati.

12 Ad secundam partem capitis veniens, contendit Deum sua quædam erga reprobos iudicia habere, quibus consilium de illis suum exequatur: alios scilicet audiendi verbi sui facultate priuando; alios eius prædicatione magis excæcando & obstupefaciendo.

13 Nec aliam causam reddi posse cur ita faciat, nisi quia sunt vasa iræ in contumeliam.

14 Si vlteriùs progrediamur, quæramusq; cur Dominus ab initio reprobos excæcauit, necessariò ad vnum illud transeundum erit, vt ostendat nomen suum in vniuersa terra. nec tamen hæc ita accipi posse, quasi Deus miseris suis creaturis inordinata potentia in sæuitiæ suæ ludum abuteretur.

15 Locis quibusdam Scripturæ, quibus videtur negare

gare Deus ſua ordinatione fieri, vt iniqui pereant (niſi quoad,ſe reclamante,ipſi mortem ſibi ſponte accerſunt) reſpondet,eos breuiter explicando.

16 Alia quædam obiecta ex Scriptura deſumpta diluit: ac cum Paulo concludit,O homo, quis tu es,qui litigas cum Deo?

CAP. XXV.

De reſurrectione vltima.

Primò,doctrinam ipſam ponit & confirmat 1-4 Deinde,errores quoſdam tollit 5-9.poſtremò,ad confinia quædam deſcendit,10-12.

ET s iam tranſiuimus à morte in vitam, tamẽ ne moleſtum ſit exerceri adhuc ſub dura militia, beatam ſpem expectandam nobis eſſe, & aduentum gloriæ magni Dei; non obſtantibus tarditate noſtra, ludibrijs hominum profanorum,aut violentis tentationibus.

2 Perfectam felicitatem à philoſophis anxiè diſputatam, nulli tamen eorum notam in reſurrectione eſſe nobis propoſitam.ad eam igitur attollendos eſſe animos; maximè, cum & mortua elementa ſuo more hoc ipſum appetant.

3.4. Reipondere ſtudium noſtrum acui debere,quũ ni reſurgant mortui, totum Euangelium fallax & inane ſit.ſed quoniam res eſt creditu difficilis, vt omnia obſtacula ſuperet fides, duo adminicula Scripturã nobis ſuppeditare: alterum, Chriſti ſimilitudinem, alterum Dei omnipotentiã:quorum prius 3.poſterius 4.ſect. tractatur.

5 Quod ad errores attinet,primùm refutat errorem Ethnicorum & Sadducęorum,qui reſurrectionem & immortalitatem animarum negant: tum etiam Chiliaſtarum,qui mille annis finiunt Chriſti regnum.

6 Deinde,duobus alijs delirijs commemoratis, prius eorum,animas ſcilicet reſurrecturas cum corporibus, quaſi totus homo morte interiret,primò refutat; deinde quò meliùs id eluceſcat,oſtendit quę ſit earum conditio,

post corporis dissolutionem, vsque ad vltimi iudicij diem.

7 Posterius, eorum nimirum, qui animas non recepturas, quibus nunc indutæ sunt corpora, sed nouis & alijs præditas fore imaginantur, quò melius conuellat, primùm tollit Manichæorum obiectionem, carnis resurrectionem idcirco negantium, quòd immunda sit: deinde, non aliud, sed hoc ipsum corpus resurrecturum esse contendit.

8 Hoc ipsum argumentum prosequitur: eaque occasione ad modum resurrectionis explicandum se accingit.

9 Nec obstare, quòd ad impios, & à Deo maledictos non minùs quàm ad sanctos resurrectio pertineat, licet non in eundem finem.

10 His ita positis, à resurrectione transit ad æternam felicitatem, quæ resurrectionis finis est. De ea, duo affirmat; excellentiam eius captum nostrum longè superare; &, non æqualem omnibus Dei filijs gloriæ modum futurum esse.

11 Spinosas quæstiones de hac re cauendas esse; licet quibusdam vel ipse respondeat: sic tamen, vt interea moneat, ne tam ante tempus scire, quid in cœlis agatur; quàm, quà sit illuc eundum, appetamus.

12 A felicitate fidelium ad miseriam reproborum descendit: quam vult & maximam esse, & æternam.

Liber

Liber quartus.

De externis medijs vel adminiculis, quibus Deus in Christi societatem nos inuitat, & in ea retinet.

ARGVMENTVM.

TRes tantùm loci sunt, quos hoc libro maximè discutit. quorum primus est de Ecclesia 1-13; alter, de Sacramentis 14-19; tertius, de Politica administratione, 20.

Primus verò, qui vsque ad finem capitis decimi tertij extenditur, multa complectitur; quæ tamen omnia ad quatuor præcipua capita referri possint. Primùm enim de ratione qua dignosci Ecclesia potest, quoniam vnitas cum ea necessariò colenda nobis est, disputat 1. & 2. Deinde, de regimine vel gubernatione Ecclesiæ 3-7: vbi primùm ostendit, quis sit ordo gubernandæ Ecclesiæ, quem ex puro Dei verbo vult esse traditum 3: deinde, quæ forma apud veteres in vsu fuerit 4: postremò qualis sit, quæ hodie sub Papatu viget, 5: qua occasione & de primatu speciatim agit, 6; & ostendit quibus gradibus in eam altitudinem se extulerit, 7. Tertiò de potestate Ecclesiæ agit 8-11. ac primum, quoad dogmata fidei, quæ vel in singulis, 8; vel in vniuersis, vtpote Concilijs, residet, 9: deinde, in legibus ferendis, 10: postremò, in Ecclesiastica iurisdictione, 11. Quartò ad disciplinam Ecclesiæ descendit: ac primùm, de ea ipsa agit, 12: tum etiam, de vitio quodam ei cognato, quo peccarunt pleriq; dum vota nuncupantes, veluti voluntarium quoddam disciplinæ genus sibimetipsis indicere voluerunt, 13.

Secundus locus de Sacramentis tres habet partes. nam primùm de Sacramentis in genere, 14. *deinde, de vtroq; ſigillatim* 15-18 : *ac primò de Baptiſmo,* 15 ; *qua occaſione de Pædobaptiſmo etiam ſeorſum,* 16 : *deinde, de Cœna Domini,* 17; *eaq; occaſione, de Miſſa agit,* 18. *poſtremò de quinque illis, quæ paulò antè Sacramenta falsò habita ſunt,* 19.

Quid ſit de tertio dicendum, caput ipſum demonſtrabit: 20.

CAP. I.

De vera Eccleſia, cum qua nobis colenda eſt vnitas: quia piorum omnium mater eſt.

Primò, articulum breuiter explicat, ſimulque oſtendit quibus nominibus nobis commendata ſit Eccleſia, 1-6. *deinde, qua ratione dignoſci poſſit,* 7-9 *poſtremò quam iniquum ſit ab ea deficere* 10-29.

DE Eccleſia ſe nunc dicturum, quòd apud eam Dominus depoſuerit, quicquid nobis ad ſanctum fidei conſenſum, & rectum ordinem neceſſarium foret, quòdque ſit omnium fidelium mater.

2 Quo ſenſu articulus Symboli de Eccleſia ſit accipiendus: vbi etiam nominatim agit de particula *In*, & de epitheto *Catholica*.

3 Quo ſenſu addatur Sanctorum *Communio*, & quibus fulcris nitatur. nec opus eſſe, vt huius obtinendæ gratia, Eccleſiam ipſam oculis cernamus, vel manibus palpemus.

4 Eccleſiam non immeritò Matrem noſtram dici; nec vllam eſſe ſalutem extra gremium eius: vt ſemper exitialis ſit ab Eccleſia diſceſſio.

5 Fuſiùs explicat, qua ratione matris vice nobis cõſtituatur: nempe, quòd eiuſmodi Miniſterium apud eam Dominus depoſuerit, quod nobis abundè ſit ad ædificationem, donec eius educatione in virilem ætatem adoleſcamus. hunc igitur educationis modum contemnendum

dum non esse, qui nobis duplici nomine vtilis est: atque in hunc finem templorum vsum necessarium esse.

6 Ministerium siquidem perquam efficax esse; non tamen à Deo separatum.

7 Quod ad secũdam partem tractationis de Ecclesia attinet, primùm contendit Scripturas bifariam de ea loqui; nempe, de visibili, & inuisibili.

8 Deinde, singularem esse Dei prærogatiuam, nosse qui verè sui sunt. eum tamen certis quibusdã notis (quatenus expedire nobis videbat) nobis designasse, qui sint pro filijs eius habendi: id verò non fidei certitudine, sed iudicio charitatis.

9 Postremò, ministerium Verbi & Sacramentorum esse notas Ecclesiæ. non tamen eandem esse hominum singulorum rationem: quia licet veram pietatem profiteantur, esse tamen possunt extranei ab Ecclesia.

10 Quod ad tertiam spectat, transfugam & desertorem religionis vult esse, quicunque ab huiusmodi Ecclesia discedit.

11 Eoque diligentiùs has notas animis nostris imprimendas esse, quò Diabolus semper molitur, aut istas notas de Ecclesia tollere; aut, si id non potest, defectione nos ab Ecclesia abripere.

12 Nec satis causæ esse, vt quispiam ab Ecclesia eiusmodi deficiat, etiamsi vel communis professio quibusdam corruptelis inquinetur:

13 Vel multò magis quorundam vita plurimis vitijs referta sit.

14 Id verò, quum non æquè apud omnes receptum sit, primò (quod præsertim ad morum vitia spectat) Corinthiorum exemplo satis illustri, id ipsum probat.

15 Deinde, quòd obijciunt ex Paulo, flagitiosos homines in contubernio nostro ferendos non esse, dilucidè ostendit nihil ad hanc rem pertinere; quòd eiusmodi separationis iudicium nõ ad quemlibet priuatum,

ſed tantùm ad Eccleſiam ſpectet.

16 Tertiò, Auguſtini authoritate & firmiſſimis rationibus euincit, eiuſmodi moroſitatem non ex vero ſanctitatis ſtudio; ſed ex ſuperbia, falſaq; ſanctitatis opinione promanare.

17 Quartò, quòd obtendunt Eccleſiam ſanctam dici, ideoque non poſſe Eccleſiam cenſeri, quæ talibus corruptelis ſcateat, hoc etiam diluit, oſtendens, eam ſanctitatem non aliam eſſe, quàm quæ in hoc mundo ſemper à perfectione ſua longiſſimè abſit.

18. 19. Quintò, contendit eiuſmodi corruptelas omnibus ſeculis in Eccleſia viguiſſe: nec tamen, aut prophetas à vetere Eccleſia; aut Apoſtolos, vel ipſum Chriſtum ab ea, quæ ſua ætate erat, diſceſſionem feciſſe.

20. 21 Poſtremò, hoc ipſum ex eo confirmat quòd in Symbolo remiſſio peccatorum ita ſubnectatur, vt ad Eccleſiam pertinere manifeſtum ſit: eaque talis, vt non modò ſemel peccata remittat, quum nos in Eccleſiam Dominus recipiat; ſed etiam ſemper quotieſcunque poſtea peccauerimus.

22 Id vel ex hoc vno ſatis liquere, quòd claues Eccleſiæ in hũc finem præcipuè datæ ſint, vt quotidie hoc bonum nobis impertiant.

23 Quum verò Nouatiani, & quidam ex Anabaptiſtis, contra hæc quæ poſtremo loco de maculis Eccleſiæ diſſeruit, fingant in Baptiſmo Dei populũ regenerari in puram & Angelicam vitam, quę nullis vitiorum ſordibus poſt vitietur: lapſis verò poſt acceptam gratiam nullam ſpem veniæ reliquam eſſe, primum, forma precandi à Domino inſtituta hunc errorem manifeſto conuellit:

24 Deinde, exemplis quibuſdam ex vetere Teſtamento deſumptis, & authoritate Moſis,

25 Et teſtimonijs aliquot prophetarum:

26 Poſt etiam ex Nouo teſtamento & ratione, & teſtimonijs, & exemplis primum particularibus,

27 De-

27 Deinde generalibus, insigni testimonio ex Psalmis, & dispositione symboli confirmat & illustrat.

28 Tertio, quum ad suum errorem confirmandum, non se quælibet intelligere, sed tantum voluntaria peccata clamitent, hoc etiam tribus argumentis euertit: quorum primum, à sacrificijs legis, alterum, a summa Euangelij, tertium, ab exemplis sumptum est.

29 Postremo, ne quosdã è Patribus pro se facere arbitrétur, quod pœnitentiam solenné nõ magis quàm Baptismũ iterari nolint, primum, hanc eorum seueritaté interpretatur, deinde, moderationé facilitatéque in verbo Domini concessam, Patrum seueritati opponit & præfert.

Cap. II.

Comparatio falsæ Ecclesiæ cum vera.

VBI regnum occupauit falsitas & mendacium, illic nullam esse Ecclesiam.

2 In eum modum quum res habeat sub Papismo *nullam illic restare Ecclesiam. illos tamen & Ecclesiam suam magnificè nobis commendare, & eos omnes qui contra sentiunt, scismaticos & hæreticos constituere. De vtroque igitur dicturus, primum, Successionem, qua Ecclesiam suam venditant, nullius momenti esse probat. *Vide Sect. 11. 12.

3 Successionem nihil iuuare, nisi veram habeat imitationem coniunctam, exemplis & testimonijs Scripturæ primum, deinde, ratione à pari de imperijs ducta, postremo, Augustini authoritate confirmat.

4 Quicquid igitur obtendunt, nullam esse Ecclesiam, vbi verbum Dei non apparet.

5 Deinde, quod ad criminationé suã attinet, qua reos scismatis & hæresèos nos agunt, eã argumento à definitione ducto, tã ex Augustino, quàm ex Scripturis diluit.

6 Idipsum quoque Cypriani authoritate confir-

mat: & anathemata eorum quibus nos deuouent, nullas habere vires ostendit.

7 Quoque magis eos omnes crimine leuet, qui à corruptelis Papisticis ad puritatem Euangelij defecerunt, negat alio loco habendam esse Romanam Ecclesiam, quàm Israeliticam. Postquam (à Iudaica, sub Ieroboam deficiens) ad morũ & religionis vitia declinasset.

8 Hæc autem qualis fuerit, fusiùs ostendit.

9 Indè concludit, iniquè eos facere, dum ad Ecclesiæ suæ communionem adigere nos volunt. duoque esse, quæ hoc pacto à nobis extorquere cupiunt: primùm, vt precibus, sacrisque, & ceremonijs suis omnibus communicemus: deinde, vt quicquid honoris, potestatis, iurisdictionis Ecclesiæ suæ tribuit Christus, id Ecclesiæ istorum deferamus. De priori istorum hoc loco agit.

10 De posteriore.

11.12 Neque tamen in totum Ecclesiæ titulum ei denegandum esse, vbi etiam ostenditur, quatenus concedere liceat, apud eos quodammodo Ecclesiam esse, quamuis legitima Ecclesiæ forma careat.

CAP. III.

De Ecclesiæ doctoribus & ministris, eorumque electione, & officio.

Primùm, in genere quædam præmittit, 1-3. Deinde, seorsum de singulis agit, 4-9. Postremò, de ordinatione vel vocatione ministrorum disserit, 10-16.

DE ordine, quo Ecclesiam suam * gubernari voluit Dominus, se dicturum professus, ad Ecclesiasticos tantùm ordines (vt dicuntur) descendit. De ijs primùm generatim agit: nempe Deum qui solus in Ecclesia semper regnat & eminet, quique per se ipsum vel per Angelos docere nos posset, id tamen facere hominum ministerio: primò, vt dignationem erga nos suam declaret, deinde, vt ad humilitatem & obedientiam assuefaciat, postremò, vt homines hoc vinculo constricti, mutuam

* *De magistratu hoc loco silet, qui in hunc quoque finẽ destinatus est. De quo vide ipsum Cal. Inst. cap. 20. sect. 2. 3.*

Et, Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Isa. 49. 23.

mutuam charitatem meliùs inter se fouere discant.

2 Hominum ministerium præcipuum esse neruum, quo fideles in vno corpore cohæreant.

3 Atque in hunc finem, dignitatem eius tam præclaris elogijs; necessitatem, tot exemplis nobis à Domino commendatam esse.

4 Hæc vbi in genere præmisit, nunc ad singulos ordines pertractandos se accingit: ac primùm, de Apostolis, Prophetis, & Euangelistis: quorum omnium functiones temporarias vult esse. Pastores verò & doctores eiusmodi esse, vt eis Ecclesia nunquam carere possit.

5 Si Euangelistas Apostolis iungamus (vt ferè idem sunt) restare nobis duo paria quodammodo inter se respõdẽtia. Nostros enim Doctores & Pastores idem ferè officium habere cum veteribus prophetis & Apostolis.

6 Id fusiùs ostendit in Apostolis & Pastoribus: nempe, ad vtrosque pertinere Verbi & Sacramentorum administrationem.

7 Etsi Pastoribus singulis assignandæ sint suæ Ecclesiæ, non sic tamen vni quenquam alligatum esse, quin & alias iuuare possit, si ita publica vtilitas postulauerit, modò id ritè & ordine fiat.

8 Episcopos, præsbyteros, pastores, & ministros apud Apostolos vnum idemque esse. Alias temporarias functiones se omittere. Duas verò fuisse quæ perpetuò manent, præter eas, quæ ad ministerium verbi pertinẽt, & superiùs commemoratæ sunt: nempe, gubernationem (de qua postea) & curam pauperum.

9 Quod ad curam pauperum attinet, eam diaconis & viduis commissam fuisse: quorum illi in rebus pauperum; hæ verò in pauperibus ipsis curandis, Ecclesiæ seruierunt.

10 Omnia decenter & ordine in sacro cœtu facienda esse: atque ita viam sibi munit ad tractationem de Vocatione ministrorum.

11 Eius verò tractationem in quatuor versari: quales scilicet, & qualiter, & à quibus instituendi sint ministri, & quo ritu, quáve ceremonia initiandi. se autem non de interna (quæ tamen in primis necessaria est) sed de externa & solenni vocatione loqui.

12 Quales eligendi sint, & qualiter.

13 Quod ad tertium attinet, Apostolos ab ipso Domino vocatos esse: sed in hoc esse peculiare quiddam.

14 Nostros ministros, Pastores, aut Episcopos ab hominibus designari oportere. nonnullos etiam ex Apostolis, licet à Domino vocatos, ab hominibus tamen designatos fuisse.

15 Electionem istam pertinere, nō ad vnum quempiam: sed æquum esse, vt per seniores, ex * populi consensu & approbatione, creentur qui visi sunt idonei.

* *Vide annot. in cap. 5. sect. 2*

16 Quod ad vltimum spectat, ordinandi ritum non alium fuisse, quàm manuum impositionem: nullumque præceptum de ea extare.

Cap. IIII.

De statu veteris Ecclesiæ, & ratione gubernandi, quæ in vsu fuit ante Papatum.

Primum, quales fuerint ostendit, 1-9. deinde, de Vocatione Episcoporum & Ministrorum agit, 10-15.

Quicquid Ministrorum vetus Ecclesia habuit, in tres ordines distinctum esse: Presbyteros, Seniores, & Diaconos.

2 Presbyterorū (qui doctrinæ & Sacramentis præerant) in vnaquaque ciuitate collegium vnum fuisse: eos ne ex æqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur, ex suo numero vnum elegisse, quem Episcopum dicebant. Huic quandoque Chorespiscopi assignati sunt, qui tamen omnes in Verbo & Sacramentis, & iunioribus erudiendis versati sunt.

3 Hoc vltimum fusiùs prosequitur authoritate Hieronymi

ronymi & Gregorij.

4 Archiepiſcopos & Patriarchas fuiſſe, ſed rariſſimi vſus; & quem in finem creati ſint.

5 Diaconos ſub inſpectione Epiſcoporum, Eccleſiæ bona partim Miniſtris, partim pauperibus alendis diſtribuiſſe. Hypodiaconos quoque & Archidiaconos locum in Eccleſia habuiſſe.

6 Bonorum Eccleſiaſticorum talem fuiſſe diſpenſationem, vt nec miniſtris deeſſent alimenta, & pauperes non negligerentur.

7 Vbi frigere cœpit Diaconorum fides & integritas in bonis Eccleſiæ adminiſtrandis, Canonibus conſtitutum fuiſſe, vt quadripartitò diſtribuerentur.

8 Etſi vna pars in ornatum ſacrorum conferretur, eam tamen quoties opus fuit, pauperibus ceſſiſſe.

9 Quòd præter iſtos ordines alij Clerici, Oſtiarij, & Acoluthi dicti ſint, & certis quibuſdam officijs deſignati, eiuſmodi officia non tam functiones, quæ veris Eccleſiæ miniſterijs accenſentur, quàm exercitia quædam, ac veluti tyronum rudimenta fuiſſe.

10 Quod ad ſolennem eorum Vocationem attinet, ex quatuor illis quæ ſuperiùs (cap. 3. ſect. 11.) conſideranda poſuit, duo priora fideliter à vetere Eccleſia obſeruata eſſe; niſi quòd ſucceſſu temporis immodica ſeueritate cœlibatum in eligendis requirerent: in tertio verò nonnihil variaſſe.

11 In eligendis Epiſcopis, populo diu ſuam libertatem ſeruatam eſſe.

12 Pòſt verò cancellis quibuſdam incluſam, ne inconſideratæ multitudini res permitteretur.

13 Hanc eligendi rationem diu poſtea duraſſe: nec ei repugnare decreta, quæ à Gratiano in alium finem colliguntur.

14 Quod ad quartum attinet, hoc eſt, quo ritu poſt electionem initiarentur Miniſtri in ſuum officium, Epi-

ſcopos confluere ſolitos eſſe.

15 Poſtea morem paulatim inoleuiſſe, vt metropolim ad petendam ordinationem electi concederent. ritum verò nullum fuiſſe, præter manuũ impoſitionẽ, niſi quod aliquẽ ornatũ in ſolenni cœtu haberent Epiſcopi.

CAP. V.

Antiquam regiminis formam omnino peſſundatam fuiſſe tyrannide Papatus.

In duas partes capite diſtributo, qui, & quales, & qua ratione ſub Papatu vocentur ad hoc miniſterium, primò diſcutiendum cenſet, idque facit, 1-7. Deinde, quàm fideliter munus ſuum impleant, 8-19.

QVOD ad priorem attinet, vbi Epiſcopis primum locum in hac diſputatione honoris cauſa conceſſit, primùm oſtendit, qui, & quales eliguntur: nempe indocti, diſſoluti, pueri, Sodomitæ.

2 Deinde, quod ad tertium membrum attinet, rationem ſcilicet eligẽdi, totum illud * ius populi in eligendo ſublatum eſſe: contra Leonem, Cyprianum, & plurima Synodorum decreta. nec eo, quem adferunt, prætextu excuſare ſe poſſe.

3 Has vices, non vt rebus deploratis ſuccurrerent (vt ipſi fabulantur) ſibi arripuiſſe: ſed, vt ſuam tyrannidẽ ſtabilirent. [a] ab eis tandem principes impetraſſe, vt Epiſcopos ipſi nominarent: exemplum non minus fœdum, ac alterum quodque à bono principe alienum eſſe debet.

4 Vbi de electione Epiſcoporum dixit, ad electionem Præsbyterorum & Diaconorum veniens, eam duplici nomine coarguit: primùm, quod in alium finem ordinentur: Deinde, quòd nulli certo loco aſſignentur ordinati: præter millie alias fraudes.

* *Quod de iure populi ſublato quæritur fuerit necne temporarium, aliiſq; circumſtantijs alligatum, quari poteſt. Ego certè adduci non poſſum, vt eiuſmodi ius populo concedam, vt nunc apud nos conſtituta ſunt Eccleſia.*

a *Quibuſdam tamen Imperatoribus (ex quo Papatus inualuit) vtpote Henrico quarto & quinto ingentes fuerunt cum Papis contentiones de huiuſmodi inueſturis, tanquam ad ſe ſolum pertinẽtibus: & Eduardus tertius Rex Angliæ, in epiſtola ad Papam,*

5 In

5 In istorum ordinatione quàm varij scateant abusus.

6.7. In beneficiorum collationibus plurimos etiam abusus esse.

contendit, penes progenitores suos fuisse electionem Episcoporum, priusquã ad capitula devolueretur, de quibus vide Catal. testiũ veritatis, pag. 360. & 380. c.

Sed alia quoque multa sunt, à Theologis nostris hodie disputata, qua mea sententia abundè probant, nec fœdum exemplum, nec à bono principe alienum censeri debere, quòd Episcopos nostri nominent: modò verè & fideliter præstent quod ea in parte legibus nostris cautum est. Nec tamen inficior, quin, dum politici magistratus non sta dignos aliquando promouent, sapius autem nominationes suas longiùs differentes, ipsi interim agrorum prouentus & reditus intercipiunt: huic suo iuri veluti nubem tam densam superinducant, tenebrasq; tam crassas offundant, vt mirum videri non debeat, si in caligine tam spissa rei veritatẽ oculu, quãtùmu fidelibus, quis assequi nequit. Certè si principes rectè suo munere defuncti erunt, diuoq; illa vitia, quantum in se est, declinabunt: nemo illu vitio opinor vertet, quòd ius conferendi episcopatus, aliaq; nonnulla ecclesiastica munera, sibimetipsis vendicent, nec suam hanc illu prærogatiuam inuidebit.

Ad secundam partem capitis ventens, nempe, vt discutiat, quàm fideliter munus suum impleant, primùm de præsbyteris cuiuscunq; generis agit, 8-14. tum etiam de Diaconis, 15-19.

8 Quod illi sacerdotes suos partiuntur in Monachos & Seculares, primùm negat priores illos vllum habere locum in Præsbyterio: deinde, si habeant, eos munus suum non obire.

9 Secularium, alios certa stipendia quibus alantur, vt Episcopatus aut parochias habere: alios veluti mercenarios operas locando, & stipe inde collecta, victitare. hos nihil minus, vel ipsius muneris sui naturâ, quàm presbyteros esse.

10 Canonicos, Decanos, Capellanos, Præpositos, & quicunque otiosis sacerdotijs aluntur, eodem loco habendos esse.

11 Episcopos & Doctores pium & eximium habere munus, si quidem eo defungerentur: eos verò Ecclesias deserere, earumque regimen procul à se abijcere.

12 Id sua ætate Gregorium animaduertisse: Bernardum verò aliquanto pòst multo magis.

13 Totam gubernationis Ecclesiasticę formam, quę hodie sub Papismo viget, nihil aliud esse quàm spoliarium, in quo licenter sine lege & modo latrones grassantur; vtcunque se Apostolicæ authoritatis prætextu venditent.

14 Mores eorum longè omnium turpissimos esse.

15 Quod ad *Diaconiam attinet, nullam prorsus apud eos extare, licet vmbram quandam illius obtineant.

16 In alios vsus erogari bona Ecclesiastica, quàm iuxta veterum rationes debuerant: eosq; minimè ferendos.

17 Quàm nihili sit quod pro se afferunt, eiusmodi terrena magnificẽtia Ecclesię dignitatem pulchrè sustineri: &, quàm impiè quosdam Scripturæ locos ad eiusmodi luxum tuendum detorserint.

18 Perperam de ornandis sacris solicitos esse, cum nulla interim cura pauperum tangantur.

19 Nec tantùm quę alij in vsus Ecclesiasticos donãt; sed etiam reditus quos ipsi ex suis agris & proprijs possessionibus percipiũt, eos non minore luxu profundere.

Procuratio pauperum duplex est: politica scilicet, & Christiana. Politicam dico, quoties, qui reipublicæ præsunt, certis quibusdã legibus egenis prospiciunt: Christianam verò, quam discipulis suis Christus cõmendauit, nihil quidem certi speciatim instituens vt politici magistratus, sed tantùm in genere omnibus præcipiens, vt quisque quantum in se est, aliorum inopiæ succurrat. Quum igitur duplex sit, et si politica illa pauperum cura nunquam in eam perfectionem accrescat (ne in ijs quidem rebuspub. quæ omnium optimè constituta sunt) quin Christiana hac nostra pauperes semper opus habeant (vt in Ecclesia hac nostra Anglicana videre est:) cuique tamen cauendum est, ne dum inter has duas species distinguere nesciat, aut politicam ministerio affingat, aut, constituta politica, Christianam ei surripiat.

CAP. VI.

De primatu Romanæ sedis.

QVALEM primatum sibi vendicat Papa.

2 Statum verò quæstionis esse, vtrum ad veram Ecclesiastici ordinis rationem necesse sit, sedem vnam inter alias, & dignitate & potestate eminere, vt sit totius corporis caput. Hoc vt Pontificij probent, à summo sacerdotio apud Iudæos argumentum sumunt. id autem duplici nomine inualidum esse.

3 Quæ ex Nouo Testamento citant, priùs breuiter refel-

refellit.

4 Deinde, fundamentum quo potissimùm nituntur; nempe celebre illud Christi ad Petrum responsum, primùm vera ac genuina interpretatione sua; deinde & Patrum authoritate euertit: contendens, non vni Petro, sed alijs quoque dictum esse.

5.6 Et quamuis soli Petro dictum fuisset, Tu es Petrus, &c. id tamen minimè eos iuuare.

7 Id confirmat multis Scripturæ testimonijs, quæ ostendunt nihil fuisse Petrum, quàm vnum ex numero duodecim, parem reliquis socium, non Dominum.

8 Verùm, etsi Petrus aliqua dignitate reliquos Apostolos antecelluisset, id tamen nihil pro suo primatu in vniuersum orbem facere.

9 Quod si & illud quoque concederetur, orbem totum monarchia contineri, bonum ac vtile esse; non tamẽ propterea concedendum, idipsum in Ecclesiæ gubernatione valere: vtcunque nihil aliud Papa sibi vendicet, quàm vt sit caput vicarium vel ministeriale.

10 Aliquoties viuam Ecclesiæ imaginem nobis Paulum depingere, eiusque vnitatem commendare: nec tamen vllam de vno capite (quòd locus maximè expetebat, si verum esset) mentionem facere.

11.12.13. Etsi & illud quoq; illis largiamur, sic constitutũ in Petro Ecclesiæ primatum, vt perpetua successione semper maneret; eos tamẽ nunquam euincere posse, sedem Romæ ita collocatam, vt quicunq; sit vrbis illius Episcopus, orbi vniuerso præsideat: quanuis illud etiam illis concedamus, Petrum ibi, vt aiunt, sedisse Episcopum.

14.15. Multò minùs, si negamus Petrum sedisse Romæ: idque plus quàm verisimile esse.

16 Etsi antiquitus patres magnum honorem Ecclesiæ Romanæ detulerint, reuerenterque de ea loquuti fuerint, idque tribus de causis potissimùm: nullum tamen primatum agnouisse.

17 Vnitatem quoque, quam toties (vt æquum est) prædicant, nunquam in eum finem tendisse.

CAP. VII.

De exordio & incrementis Romani Papatus, donec se in hanc altitudinem extulit, qua & Ecclesiæ libertas oppressa, & omnis moderatio euersa est.

EPISCOPO Romano primum locum inter Patriarchas tribuisse Synodum Nycenam, eique præcepisse, vt suburbanas Ecclesias curaret. in Concilijs verò quæ secuta sunt, non Episcopum Romanum, sed alios primas tenuisse.

2 In Concilio Chalcedonensi etsi primum locum occuparet, id tamen & extraordinaria ratione factum, & à successoribus in alijs Concilijs non seruatum.

3 Imò nec eiusmodi titulo eum dignatos esse antiquos patres.

4 Gregorium verò fortiter impugnasse, quum Episcopus Constantinopolitanus eum ambiret: nec tamen eum sibimetipsi propriæ sedis iure vendicasse.

5 Authoritatem Pontificis Romani creuisse, quum non tantùm pij in alijs partibus nimium grauati, præsidij causa, sed etiam impij à proprijs Episcopis condemnati, iniusti patrocinij ergô, eò confugerent: quos omnes Pontifex semper auidè excipiebat.

6 Quatuor capitibus Ecclesiasticam potestatem cõtineri. istorum nullum ad Episcopum Romanum pertinuisse: id est neque ordinationem Episcoporum.

7 Neque admonitiones vel censuras.

8 Neque ius conuocandi Synodos.

9.10. Neque ius audiendarum appellationum.

11 Non obstantibus, quas pro se citant, epistolis illis decretalibus.

12.13. Licet Gregorij tempore multùm aucta esset Episcopi Romani authoritas, eam tamen non aliò tendisse,

disse, quàm vt iuuaret alios episcopos, non impediret: deinde & ipsi Gregorio valdè displicuisse, quòd talibus occupationibus distraheretur.

14.15 Concilio Taurinensi constitutũ fuisse, vt, quæ in ciuili gubernatione primæ vrbes essent cuiusque prouinciæ, primæ quoque essent Episcoporum sedes: &, si contingeret honorem ciuilis regiminis ex vna vrbe in alteram transferri, vt ius Metrapoleos vna illuc transferretur. Hinc ingens certamen de secundo loco inter episcopos Constantinopolitanum & Romanum.

16 Paulò pòst, Ioannem Constantinopolitanum, Mauritij Imperatoris fauore adiutũ, vniuersalis Patriarchæ nomen vsurpasse. Tum verò Gregorium & se constanter opposuisse, (nec ita tamen, vt quod alteri negaret, sibi vendicaret) & Alexandrino Episcopo succensisse, à quo fuerat ipse eiusmodi titulo salutatus.

17 Tandem verò Bonifacium tertium à Phoca obtinuisse, vt Roma caput esset omnium Ecclesiarum. hoc autem nullius ferè momẽti fuisse, donec tandem Gallia malis artibus in eius potestatem veniret.

18 Ex eo tempore res passim in deterius ita prolapsas esse, vt Bernardus sua ætate grauissimis querelis Ecclesiam defleat.

19 Quoque magis appareat, si Romanæ Ecclesiæ eam concederemus dignitatem & eminentiam, quam Leonis, vel Gregorij tempore habuit, nihil tamen pro Primatu quẽ hodie vendicant facere, primùm quatuor præcipua capita esse ostendit, in quibus tyrãnidem suam exercere solent: deinde etiam alia quædã addit ad hoc ipsum argumentum spectantia.

20 Nec ea quæ postulant, à veteribus, vt ipsi mentiuntur, sibi concessa esse: nec ijs contentos fuisse Gregorium nonum, Martinum, & alios, qui alia quædam noua, eaque prorsus indigna, & ipsi confinxerunt.

21 Huic tantæ insolentiæ etsi opponi posset Cy-

prianus, Concilium Carthaginense, & alia plurima ex historijs, Synodis, & libris veterum, hoc tamen vno satis cos vrgeri posse, quòd siquid frontis reliquum habeant, nunquam eiusmodi tyrannidem defendere queant, quam toties ipse Gregorius damnat: qui non tantùm titulum vniuersalis Episcopi aut Capitis, sed etiam iubendi potestatem reijcit.

22 Præsentem Papatus statum nulla fronte defendi posse, vel ex eo quoq; satis elucere, quòd Gregorius & Barnardus admodũ flebiliter cõquesti sint de suæ ætatis malitia, quàm centuplo nunc superatam esse constat.

23 Denique vt acriùs ipsos constringat, & viam sibi ad sequentem tractationem de Antichristo muniat, negat Romæ, aut * Eccleſiam, aut Episcopum esse; vt sunt omnia hodie ita deprauata.

Vide Cap. 7. sect. 11. 12.

24 Id confirmat; atque inde includit, ibi non esse sedem Apostolicam, vbi nihil cernimus nisi horrẽdam Apostasiam: eam non esse omnium Ecclesiarum matrem, vbi sedem Antichristi positam videmus.

25 Episcopũ enim Romanũ, ipsum Antichristũ esse.

26 Non igitur ei loco alligandum esse primatum, etsi olim primus omnium fuerit: maximè, quum Ecclesia iampridem in curiam versa sit.

27 Hactenus de re ipsa loquutus, nunc ad personas venit. ac primùm, quod ad religionem attinet, omnes in genere nõ alios vult esse, quàm Lucianicos & Atheistas.

28 Tum etiam Ioannem 22. nominatim errasse in doctrina de immortalitate animarum: ac proinde expungendum necessariò esse.

29 Deinde quoad mores, eos, & aliorum & suo scelere, turpissimos esse.

30 Cardinales nihil, aliud quàm Presbyteros Romanæ Ecclesiæ olim fuisse, ac Episcopis longè inferiores: vt verò nũc sunt, nihil habere veri & legitimi muneris in Ecclesia.

CAP.

CAP. VIII.

De potestate Ecclesiæ quoad fidei dogmata: & quàm effræni licentia ad vitiandam omnem doctrinæ puritatem tractata fuerit in Papatu.

Primùm ostendit quinam termini vel metæ sunt, quas Ecclesia sibi in huiusmodi rebus constituere oportet, 1-9. deinde Ecclesiam Romanam coarguit, quòd eas transgredi ausa sit, 10-16.

TERTIVM locum esse de Ecclesię potestate: eam verò partim in Episcopis singulis, partim in Concilijs spectari: &, consistere vel in doctrina, vel in iurisdictione, vel in legibus ferendis. Locum etiam de doctrina duas habere partes; authoritatem dogmatum tradendorum, & eorum explicationem. quicquid autem de Ecclesiæ potestate docetur, non in destructionem, sed ad ædificationem referri.

2 Quicquid authoritatis vel dignitatis ministris Ecclesię Scriptura defert, id totum propriè non hominibus ipsis, sed ministerio, cui præfecti sunt, tribui. id ostenditur primùm in Sacerdotibus.

3 Deinde in Prophetis.

4 Postremò in Apostolis.

5 Christum semper Ecclesiam docuisse; sed, pro tẽporum varietate, varijs rationibus: primùm, per reuelationes, eas verò minimè dubias.

6 Deinde, per Legem & Prophetas.

7 Postremò, per seipsum in carne manifestatum.

8 Nemini licere aliud in Ecclesia docere, quã quod in Lege, Prophetisque, ac scriptis Apostolicis continetur.

9 Nec Apostolis, nec eorum successoribus; imò nec vniuersæ Ecclesiæ licere has metas transgredi.

10 Pontificios præsules longè aliam tyrannidem exercuisse. eos enim & permittere sibi potestatem condendi noua dogmata, & neminem pro Christiano agno-

scere, qui non in omnia sua dogmata, tam affirmatiua, quàm negatiua certò consentiat.

11 Quod pro se afferunt, Ecclesiam nunquam à suo sponso Christo deserendam esse, quin eius Spiritu ducatur in omnem veritatem, ostendit quo sensu intelligendum sit: eam nimirum ad quotidianum profectum magis contendere, quàm perfectione gloriari.

12 Quum excipiunt, quicquid sigillatim sanctorum vnicuique tribuitur, id penitus & ad plenum competere in ipsam Ecclesiam: quodque hinc eliciunt, & duobus Scripturæ locis probare satagunt, ostendit quo sensu tam fundamentum illud sui argumenti, quàm Scripturæ loca (videlicet Ephes. 5. 25. & 1. Tim. 3. 15.) sint accipienda.

13 Quo sensu aduersarij negant Ecclesiam errare posse, &, quid sit de eo statuendum.

14. 15 Nihil eos iuuare duo alia quæ sumunt principia, Ecclesiam scilicet oportuisse quædam addere scriptis Apostolorum; &, extra controuersiam esse, quicquid docet ac decernit Ecclesia.

16 Exempla, quibus ad prioris confirmationem vtuntur, vnum de Pædobaptismo, alterum, quòd Nicena Synodus pronuntiauit, filium *consubstantialem* Patri, nihil eos in hac causa iuuare.

CAP. IX.

De concilijs, eorumq; authoritate.

QVOD hîc rigidior sit futurus, non ideò esse, quòd, vel Conciliorum veterum authoritatem diminutam esse velit; vel ab ijs metuat, quasi aduersariorum causæ suffragentur, nostræ verò sint contrariæ.

2 Vnde sua constet Concilijs authoritas; nempe, si in Christi nomine congregentur: & quid hoc sit.

3 Contra eos, qui quò magis Concilijs tyrannidem asserant, in Ecclesia remanere veritatem non putant

tant nisi inter pastores constet, ostenditur primùm apud Israelitas, Pastores vacuos fuisse spiritu scientiæ & veritatis.

4 Deinde, in Nouo testamento prædictum fuisse, nostrum seculum ab eo malo minimè immune futurum.

5 Non quòd in vniuersum, omnem Pastoribus authoritatem passim, & temerè abrogatam esse velit: sed, ne quisquam nesciat, non omnes Pastores esse, qui sese pro Pastoribus venditant.

6 Aliud etiam quod in eundem finem comminiscuntur, Ecclesiam scilicet consistere non posse, nisi in Concilijs generalibus emineat, nihilominus à veritate abesse, exemplis quibusdam euincitur; primùm, ex vetere Testamento.

7 Deinde ex Nouo.

8 Absolutam potestatem Concilijs concedendam non esse, quòd nonnulla impiè protulerint: & quo loco secundum Augustinum, haberi debent.

9 Concilia cum Concilijs pugnantia fuisse, exemplis Constantinopolitani & Niceni, de imaginibus; Calcedonensis similiter, & Ephesini secundi, de Eutychiana impietate, probatur.

10.11 In purioribus illis Concilijs infirmitates aliquot deprehendi: easq; tales, vt inde colligi possit, non ita à Spiritu sancto gubernata esse, quin aliquid eis humanitus accideret, ne nimiũ hominibus confideremus.

12 Pessimè desipere Romanenses, vbi ad extremum illud miserrimumque suffugium concedunt; nempe, etiamsi mente & consilio stupidi sint, animo quoque & voluntate nequissimi, manere tamen verbum Domini, quod præpositis obedire iubet.

13 Quæ hactenus dicta sunt, eò præcipuè spectare, vt ostendat quantum valeat Conciliorum authoritas in priore doctrinæ capite, hoc est, in nouis doctrinis erigẽ-

dis. Nunc verò quid in posteriore, hoc est, in Scripturæ interpretatione, valeant commonstrat.

14 Quibus etsi nonnihil hac in parte cõcedat, negat tamen Romanenses euincere posse quod illi volunt, siue interpretationem, siue approbationẽ Scripturæ spectẽt.

CAP. X.

De potestate in legibus ferendis, in qua sæuissimam tyrannidem in animas, & carnificinam exercuit Papa cum suis.

Primùm, veluti in genere de constitutionibus humanis agit 1-1. Secundò, de cerèmonijs Papisticis, 9-26. Tertiò, de bonis & legitimis 27-32.

QVOD hanc disputationem iam ingrediatur, An Ecclesiæ liceat conscientias obstringere suis legibus, hunc esse quæstionis statum, vt contra nuper inuectas Traditiones Ecclesiasticas, non leges politicas aciem struat.

2 Quas etsi fingant esse leges libertatis, suaue iugũ, onus leue; esse tamen reuera, obseruatu, non tantùm difficiles, sed etiam impossibiles.

3 Hanc verò quæstionem, quò melius explicet, primùm ostendit quid sit Conscientia.

4 Et quomodo, sicut opera ad homines respectum habent, ita conscientia ad Deum referatur: idque duplici exemplo egregiè depingit.

5 Quum autem legibus istiusmodi humanis conscientias constringi nolit, ostendit quo sensu Paulus obediendum esse docet magistratibus propter conscientiam, inter genus & speciem distinguendo.

6 Ad ipsam verò quæstionem properans, vbi rursus quis sit quæstionis status clariùs ostendit, negat Episcopos fidelibus legislatores esse impositos, qui præscribere illis à seipsis possint viuendi regulam, vel ad sua placita plebem sibi commissam adigere.

7 Perfectam siquidem bene viuendi regulam Dominum

minum in Lege tradidisse: & ob duas causas sibi vni seruare, vt Legislator noster sit.

8 Quas sigillatim fusiùs explicat, vt ex vtriusque consideratione doceat, eiusmodi hominum constitutiones verbo Dei contrarias esse.

Quod autem ad Traditiones Pontificias spectat, earum duo genera esse: alias enim esse de ceremonijs & ritibus, alias ad disciplinam magis spectare. Ac primùm vtrasque multis vitijs scatere contendit 9-16. Deinde argumentis respondet, quibus se authores earum tueri solent 17-26.

9 Quod ad prius attinet, primùm hoc vitij in illis reperiri, quod pro vero cultu Dei habeantur.

10 Deinde, quòd propter hominum traditiones, irritum esse soleat præceptum Dei.

11. 12. Tertio, quod inutiles & ineptæ sint.

13 Quartò, quòd in tantum numerum excreuerint, vt multitudine sint intolerabiles.

14 Nec multitudinem istam excusari posse, quòd dicant institutas esse ad pædagogiam rudium, quum & ad Iudaismum nos reducant, & Christum non illustret, (qui ceremoniarum finis esse debet) sed obscurent.

15 Quintò, quòd in eum errorem simplices impellant, vt existimet eas sacrificia esse & expiatoria, & meritoria. Sextò, quod à doctrina separatæ nihil aliud, quàm histrionicam ostentationem respiunt. Postremò, quod omnes sint ad fœdum quæstum prostitutæ.

16 Nec tantùm traditiones istas Papisticas eiusmodi vitijs scatere; sed etiam alias omnes cuiuscunque ætatis fuerint, similibus vitijs obnoxias esse: quia semper Dominus cæcitate & stupore percutere eos solet, qui eiusmodi obseruationibus operam dant: &, quæ sint traditiones, quæ ab Ecclesia profligari debent.

17 Ad argumenta eorum veniens, quinque commemorat, quibus traditionum istarum fabricatores sese defendunt. primum esse, quod suas istas traditiones non à se sed à Deo esse clamitent; quod ab Ecclesia,

quæ errare non potest, & à Spiritu sancto regitur, excogitatas esse velint. eos verò hoc pacto Ecclesiæ Dei insignem contumeliam irrogare; & nimium audaces esse, qui Verbo Dei tam multa addant.

18 Impudentiã esse non ferendã, assiduè de Ecclesiæ potestate vociferari; interim verò, & quid illi à Domino mandatum sit, & quam Domini mandato obedientiam habeat, dissimulare. Secundum esse, quum aiunt, ab Apostolis istas ineptias fluxisse. hoc autem meræ impostoræ esse; &, non tantùm historias, sed rationem ipsam commonstrare, eas sensim irrepsisse. Ibid.

19 Id ostendit in Cœna Domini: & locum Augustini, quem pro se facere putarunt, interpretatur.

20 Quum verò clamitent nullam apud eos ceremoniam esse, quę non ab Apostolis fluxerit, id quàm falsum sit ostendit vnico aquę lustralis exemplo: deinde contẽdit, si quæ ab illis, aut antiquis Patribus inuentæ fuerint, multum tamen inter ea, & hæc nostra esse.

21. 22 Tertium esse, quòd ad excusandam suam tyrannidem, prætexunt Apostolorum decretum de idolothytis, suffocato, & sanguine. id verò quàm nihil pro ipsis faciat clarissimè ostendit: primùm, locum ipsum interpretando; deinde, sua ipsorum confessione.

23 Eiusmodi tyrannidem, quam ex hoc Apostolorum exemplo sibi arripiunt, duobus nominibus improbandam esse: primùm, quòd non tantùm corpora, sed conscientias quoq; miserrimè excruciet; deinde, quòd Domino suum Dominium eripiat: quod posterius quàm sit reprehensione summa dignissimũ fusiùs ostendit, idq; in ijs, in quibus manifesta impietas nulla apparet.

24 Nec mirũ, quòd Domino ita semper displiceant hominũ inuenta, vt primùm in eius cultum deputantur.

25 Quartũ ab exemplis Samuelis & Menoha esse: ea autem nihil pro illis facere.

26 Vltimum, quòd Christus eiusmodi onera importabi-

tabilia ferri voluit. id quoque nihil eos iuuare.

23 Ad tertiam partem capitis veniens, nempe, vt de ijs constitutionibus agat quæ sanctæ haberi debent, primùm ex generali axiomate Pauli, rem omnem deduci oportere contendit: Deinde ex eo, duo cauenda proponit; ne, aut ad salutem credantur necessariæ, aut ad Dei cultum conferantur.

28 Tum etiam negat hæc stare cum decoro & ordine Pauli: & ostendit cuiusmodi sunt, quæ his verbis ille requirit.

29 Eaque omnia sigillatim adhibitis exemplis fusiùs prosequutus, concludit, omnes Ecclesiasticas constitutiones, quas pro sanctis & salutaribus recipimus, aut ad ritus, & ceremonias; aut ad disciplinam, & pacem respicere.

30 Nullas constitutiones eiusmodi esse, nisi quæ Dei authoritate fundatæ, & ex Scriptura desumptæ sunt. easq; secundum genus diuinas esse oportere, licet quoad speciem humanitus ordinatæ sint. optimam verò istarum moderatricem charitatem esse.

31 Christiani ergo populi officium esse, eiusmodi constitutiones neque contemnere, neque negligere; sed fideliter obseruare. idque libera conscientia fieri posse.

32 Ex altera verò parte cauendum, ne quis error, ne qua superstitio, &, ne qua necessitas easdem semper retinendi, vnquam irrepat.

CAP. XI.

De Ecclesiæ iurisdictione eiusq; abusu, qualis in Papatu cernitur.

ECCLESIAM Dei sua quadam spirituali politia indigere: & aliquam ei iurisdictionem demus, necesse esse: eamque ex potestate clauium promanare. quæ autem sit potestas illa clauium, vt priùs ostendat eam in duas partes distribuit: alteram, quæ ad ministeriũ Ver-

bi pertinet; quam negat debere in hanc rationem venire (ac proinde qualis sit, & qui sint loci, qui pro ea faciunt, pluribus ostendit.)

2 Alteram, quæ pertinet ad disciplinam excommunicationis, eam esse de qua nũc dicturus est. ac proinde ostendit, quibus locis fundata sit, & qualis esse debeat.

3 Eam [a] non temporariam, sed perpetuam esse. nec tantùm vsui esse, quum magistratus à religionis nostræ professione sint alieni; sed etiam quum Christiani fiant.

4 Id ipsum confirmat.

5 Scopum istius esse, vt scandalis obuiam eatur: in vsu verò eius duo esse cõsideranda: prius, vt à iure gladij prorsus separetur hæc spiritualis potestas.

6 Posterius, ne vnius arbitrio, sed per legitimum consessum administretur, quod etiam antiquitus factum fuisse ostenditur, donec tandem Episcopus ad se vnum attraxit, quod [b] toti Ecclesiæ datum erat.

7 Tandem etiam Episcopos, quod sibi solis acquisiuerant, ad alios, quos Officiales vocant, ablegasse: & spiritualem iurisdictionem in nihilo meliora, quàm profana iudicia conuertisse.

8 Certum tamen esse, Christum voluisse Verbi sui Ministros à [c] ciuili dominatione, ac terreno imperio arcere.

9 Quòd in suam defensionem iactare non dubitant, sic pro dignitate florere gloriam regni Christi, nec se interim nimium abstrahi à vocationis suæ partibus, quàm sit infirmum vtrunque ostendit.

10 Non primo passu, sed paulatim ex tenuibus initijs tantos progressus fecisse. vbi etiam ostenditur, quibus gradibus hucvsque tandem conscenderint.

11 Mediocribus satrapijs non contentum, regnis primùm, deinde imperio quoque Romano Pontificem

manus

a Quatenus spiritualis tãtùm est, hominesq; nulla ciuili coertione regat, sed tãtùm quo loco sint apud Deũ edoceat. Nam ciuilis quocunque modo coercere, Magistratuum tantum est: nec ad Ministros vlla ratione trahi potest, nisi qui fuerint illorum loco substituti.

b Hoc quoq; non omni ex parte aut simpliciter concedendum censeo, nisi cancelli quidam adhibeantur. Neque verò Episcopus, & tota Ecclesia, in hac causa opponuntur.

c Quatenus sunt Ministri, nõ simpliciter. aliàs enim, nõ tantùm Apostolis: sed etiã omnibus discipulis, adeóque Christianis quibuscunque interdixit dominandi libidinem, non minus quàm Apostolis.

manus iniecisse. id autem à Bernardo reprehensum esse, & Apostolico iuri prorsus negatum: Pontificios tamen in suo Arelatensi Concilio decreuisse, Supremum ius vtriusque gladij, iure diuino Papæ competere.

12 Donationem Constantini fabulosam & ridiculam esse. nullius igitur momenti esse ad imperatoriã suã dignitatem stabiliendam.

13 Quo tẽpore & qua ratione ad eam peruenerint.

14 Quibus modis in vrbem Romam & alienas ditiones inuaserint: & quàm illos dedeceat talis rapacitas.

15. 16 Immunitatem, quam vnà vendicant, veteribus Episcopis ignotam fuisse: vtcunque causas fidei, vel quæcunque ad Episcopos propriè spectarent, ab irreligiosis principibus non paterentur suæ cognitioni eripi.

CAP. XII.

De Ecclesiæ disciplina, cuius præcipuus vsus est in censuris & excommunicatione.

Disciplina Ecclesiastica duas esse partes, quarum altera plebem, altera clerum præcipuè respicit. de priore 1-21. de posteriore 22-28. Eius etiam quæ plebem respicit & communis dicitur, duas esse partes: priorem, quæ à potestate clauium pendet, de qua 1-13: posteriorem esse de indicendis ieiunijs & oratione, de qua 14-21.

PRIOREM istarum adeo necessariam esse, vt ea sublata, nihil quàm extrema dissipatio restet.

2 Quatuor esse gradus, & quinam sint, quibus in ea adhibenda progredi oportet.

3 Peccatorum alia priuata esse, alia publica: &, quomodo in vtrisque castigandis progrediendum.

4 Alia item delicta, alia scelera vel flagitia: posteriora seueriùs castiganda esse.

5 Tres esse fines disciplinæ: primum, ne impij reproba sua vita, si inter Christianos nominentur, & ad Cœnæ participationem admittantur, Christo contumeliam aliquam inurant: secundum, ne alios corrumpant:

tertium,vt ipsi resipiscant.

6 Qua moderatione corrigenda sint peccata tam publica,quàm occulta; leuia item & grauiora.

7 Neminem,ne principem quidem,eximendũ esse. tum etiam à quibus,&,qua serie actionis,exequi debeat.

8 Seueritatem hanc cum spiritu mansuetudinis cõiunctam esse oportere (eamque moderationẽ ex tribus illis finibus optimè elucere)licet nonnulli è Patribus nimis in hac parte rigidi fuerint; sed more iam inde recepto magis quàm proprio marte.

9 Non tantùm Ecclesiam vniuersam, sed singula quoque membra ad eam moderationem se accommodare debere, ne ex disciplina mox dilabamur ad carnificinam.

10 Nec aliò trahi posse, quod de ligatione & solutione Christus pronunciauit, quo se rigidiores quandoque tuentur.

11 Nimiam quoque morositatem tam in priuatis, quàm in Pastoribus cauendam esse: ne alioqui si omnia ex animi sententia non succedant, à communione Ecclesiæ temerè discedant.

12 Donatistas & Anabaptistas in hanc partem pessimè peccare.

13 Moderationem hanc tum omnium maximè adhibendam esse,quum nõ tantùm paucos,sed ipsam multitudinem inuaserit peccandi contagio.

14 Alteram partem disciplinæ in eo esse, vt pro temporum ratione plebem exhortẽtur Pastores, vel ad ieiunia,vel ad solennes supplicationes,vel ad alia humilitatis,pœnitentiæ,ac fidei exercitia.hanc partem necessariam esse;&,ab Apostolis & Prophetis fluxisse.

15 De ieiunio igitur dicturus,tres eiusdem fines recitat,eosdemque explicat.

16 Publicum ieiunium cum oratione coniunctum indicere Pastores solere, quoties de re aliqua magna,

Deo

Deo ſupplicandum eſt.

17 Item, quoties publica aliqua calamitas graſſari incipit.

18 Ieiunium verò in tribus præcipuè ſitum eſſe; tẽpore, [d] ciborum qualitate, & parſimonia.

d Quod ad ieiunium attinet, equidẽ neminẽ legi, neq; ex veteribus, neq; è recentioribus qui mihi ſatisfaciat, aut eius naturam ſatis videatur animaduertiſſe. Quoties enim de ieiunio dicturi ſunt, mox ad ciborum abſtinentiam dilabuntur, atq; in ea vna vtplurimũ acquieſcũt. Ego verò cõtra faciendũ cẽſeo: nẽpe, vt primũ genus iſtud in ſpecies diſtinguamus: ac deinde hanc ipſam ſpeciem, qua ſola ferè ieiunij nomine gaudet propius aliquãtò inſpiciamus. Ieiunij igitur (quantum inſtituti noſtri ratio poſtulat, qui de Theologico tantum conſiderationem inſtituimus) triplex eſt: publicum, priuatum, & mixtum. Publicum ſimiliter duas ſub ſe ſpecies continet. Quarum prior eſt fletus ſeu mœſtitia generalis, quoties corpus aliquod politicum, ſeu vlla fidelium iuſta congregatio in ſqualore aut lachrymis ſit, quod calamitatem aliquam, aut iam in ſemetipſos graſſari, vt 2. Par. 20. a. 3. Ioel. 1. c. 13. & Zac. 7 a. 3. aut ſaltem ceruicibus ſuis imminere videant: vt Heſter 4. d. 16. Ier. 36. b 9. Ioel. 2. d. 15. 16. & Ionas 3. c. 6. Poſterior verò nihil aliud eſt quàm precum, veluti communis quædam virium noſtrarum collatio, quoties egregium ac arduum aliquod opus tentandum eſt: vt Iudith 4. b. 8. 1 Eſr. 8. d. 21. & Act. 13 a. 3. Priuatum quoque duplex eſt, Cuius vna ſpecies in omnem vitam extenditur, nihilq; aliud eſt, quàm vt vno & perpetuo tenore vniuerſam vitam ſobriè tranſigamus, ac moderatè vtamur omnibus huius vitæ adminiculis: partim illis quæ neceſſaria nobis ſint, illis verò maximè quæ voluptati inſeruiant: Iudith 8. a. 6. & Luc. 2. f. 37. Altera eſt, pium illud exercitium cui ſe aſſuefaciunt fideles, perinde ac boni milites diſciplinæ ſuæ militari: maximè verò, quoties ſolitò ſe comperiant, aut in malum procliuiores, aut ſegniores ad aliquod bonum: de quo illud, cuius ſit mentio 1 Cor. 7 a. 5. intelligi poteſt. Quæ poſterior ſpecies ieiunij priuati, & nobis in frequentiore vſu eſt, & ab alijs (vt dixi) non ea felicitate, vt mea fert opinio, qua optanda eſſet, tractata. Quod igitur ad hoc genus ieiunij attinet, quo melius quodnam illud ſit indagemus, ego certè author eſſe velim, vt primum fontem ipſum adeamus, ac deinde riuulos conſectemur. Fontem verò huius ieiunij hunc vnum eſſe: ſyncerum, ardens, ac ſingulare deſiderium vel iuſtitiæ, aut nouitatis vitæ in genere, vel alicuius partis eiuſdem quod vel ex eo vno ſatis apparet, quòd, quum diſcipuli dæmonium quoddam non poſſent eycere, quia tanquam ad luſorium certamen temerè & inconſideratè deſcenderant, ac paulò pòſt ex Chriſto ſciſcitati eſſent, quî factum ſit, vt illa ſua opinione fruſtrarentur, eos Chriſtus ad ieiunium reuocaret, Mat. 17. 21. & Mar. 9. 29. eo nimirum innuens, eiuſmodi victorias adeò arduas & difficiles eſſe, vt, niſi totis viribus pugnarent, nihil prorſus vnquam efficerent. Duo autem eſſe, quæ ex hoc fonte ſcaturire, ac defluere ſemper ſolent: primum eſſe, vt omnes occaſiones mali prudenter ac ſedulò declinemus: deinde, vt ex altera parte quamcunq; pietatis occaſionem quæramus, captemus, arripiamus, ad eam ſemper intenti ſimus, eiq; indefeſſi incumbamus. Hinc commodè nos ad ciborum vſum deſcendere, tanquam ad vnum è riuulis: ibiq; reperire, ieiunium, quoad alimenta, non aliud eſſe, quàm eis ita vti, ſine capiendo, ſine reſpuendo, vt videbitur commodiſſimum, vel ad vitia extirpanda,

19 Ne quid verò superstitionis obrepat, tria esse quę Pastores decet sedulò semper inculcare.

20 Ieiunij quadragesimalis obseruationem superstitiosam esse, tribus rationibus ostenditur: vsitatam tamen fuisse apud veteres; sed diuersa ratione.

21 Postea latas fuisse leges quæ prohiberent ciborum esum: & varios abusus irrepsisse.

22 Secundam disciplinæ partem esse, quæ ad clerū peculiariter pertinet. ea qualis, quamq; seuera olim fuerit; & quàm miserè hodie absoleuerit, ostenditur.

23 Hac vna in re inexorabiles hodie esse, ne coniugium Sacerdotibus permittant; quibus tamen scortari impunè licet. qua occasione ostendit ex Scriptura quàm impiè sit illis interdictum matrimonium.

24 Respondet ad quædam eorum obiecta: nempe, quod aliqua nota differre oporteat à plebe sacerdotem: &, coniugium nihil quàm immunditiem & pollutionem carnis esse.

25 Deinde, quòd Sacerdotes Leuiticos ad tempus oportuit ab vxoribus secubare.

26 Tertiò, quòd rem necessariam existiment, quod nihil sit quàm decorum. idque veteris Ecclesię exemplo probatur. Antiquitus quoque agitatum fuisse de indicendo cœlibatu, sed nihil tale decretum.

27 Tandem secuta esse tempora duriora, quibus inualuit nimis superstitiosa cœlibatus admiratio. hanc verò antiquitatem si obijciant aduersarij tribus modis respondere nos posse.

28 Id quò melius ostendat, quid sit excipiendū docet, quoties antiquitatis prætextu, fœtidum suum cœlibatum defendunt. Patres etiam non prorsus totos contra nos esse.

vel ad virtutem promouendam. Atque ita ieiunium istud non tantùm ciborum vsum respiciet, sed alia omnia quæ sub eodē genere cadunt: quibus scilicet si prudenter vtamur, aut vitia minui, aut vera pietas augeri potest.

Mixtum appello, quod à priuatis seorsim suscipitur, sed in communem aliquam gratiam: atque ita vtriusque natura particeps est.

Quod etsi à reliquis generibus aliq distinguere non soleant, multa tamen in sacris Bibliis exempla habet, quæ ab illis nonnihil discrepantia, commodissimè ad istud referre licet. cuiusmodi sunt illa ieiunia quæ à Nehemia, 2. Esr. 1. b. 4. Iuditha, 9. a. 1, & Daniele 9. a. 3. suscepta sunt.

CAP.

CAP. XIII.

De votis, quorum temeraria nuncupatione quisque se miserè implicuit.

Primùm in genere de votis agit 1-7. deinde nominatim de votis monasticis, 8 21. primùm verò, de monastica professione & moribus 8-16. deinde, de ipsis votis, & præcipuè de voto cœlibatus 17-21.

EX generalibus quibusdam fundamentis ostendit quo loco vota habenda sint; &, quàm superstitiosè non tãtùm Ethnici, sed etiam Christiani in ijs nuncupandis peccarint.

2 Id quò meliùs explicet, tria obseruanda proponit: quis sit cui vota nuncupamus; qui simus nos qui vouemus; quo animo denique voueamus. ex primi consideratione emergere, vt nihil voueamus Deo, nisi quod ipse requirat.

3 Secundum monere, vt metiamur vires nostras, & vocationem nostram intueamur; alioqui facilè peccare nos posse, duobus exemplis ostenditur: ac proinde cœlibatus votum improbandum esse.

4 Tertium monere, vt ad finem respiciamus. esse etenim tantùm quatuor bonos fines; quorum duo ad præteritum tempus referuntur, & sunt exercitia gratiarum actionis: reliqui ad futurum, & sunt exercitia pœnitentiæ. vbi etiam de primis duobus agitur.

5 Duos posteriores eò tendere, partim vt reddamur cautiores; partim, vt quibusdam veluti stimulis ad officium excitemur.

6 Ex his quæ dicta sunt, facilè colligere quenque posse, quid sit de votis statuendum. Votum illud generale, quod ab omnibus in Baptismo nuncupatum est, plurimum apud nos semper valere debere: particularia verò, secundum regulas suprà positas examinanda esse.

7 Inde etiam obscurum non esse, quanta superstitione laborauerit mundus aliquot seculis, quod primùm,

generatim ostendit.

8 Deinde,ne singulas formas enumeret, nominatim in voto Monastico.Atque ita ad vota Monastica delatus,primùm ostendit qualis olim fuerit monachorum vita,quale institutum: vt aliũ fuisse doceat, quàm sit hodie apud nos Papisticus monachismus.

9 Id clariùs ex Augustino patere.

10 Deinde collatione facta inter veterem illum monachismum & hodiernum,ex tribus potissimùm notis ostendit,quantum hic ab illo degenerauit: nempe,inconsiderato rigore,inutili otio,& falsa perfectionis venditatione.

11 Quorum postremum diligentiùs examinaturus, primùm ostendit quàm iniquè perfectionis titulum sibi vendicent;etiamsi ea moderatione fiat, quam ipsi falsò prætendunt.

12 Deinde duo excutit, in quibus perfectionem suam constare putant: quorum prius generale est,nempe, quòd non tantùm omnia mandata, sed etiam vel ipsa quoque consilia Euangelica se obseruare prædicent.

13 Alterum speciale,nempe, quòd omnia sua relinquant. quod vt illis concedatur, in eo tamen perfectionem quam somniant non reperiri.

14 Quum verò ipsorum verba (suam professionem secundum aliquod Baptisma facientium) & res ipsa loquatur, eos omnes qui hodie in cœnobia concedunt, discessionem ab Ecclesia facere;certè, quot sunt hodie Monasteria,tot esse sciſmaticorum conuenticula.

15 Nec tãtùm professionem ipsam qualis hodie est, vitiosam esse, sed & mores eorum longè corruptissimos.

16 In prisco illo Monachismo nonnihil quoque esse, quod non admodum placere debeat: idque in quatuor vitijs potissimùm ostenditur.

17 Quod ad monastica vota quæ hodie in vsu sunt attinet,primùm, in genere ob tres causas omnia dãnat: deinde,

deinde, cœlibatus votum quàm sit ab omni religione alienum luculenter docet.

18 Illis minimè suffragari, quod de viduis ex Paulo allegant.

19 Ad Moniales quoque ineptissimè torqueri eorũ exemplum, tribus rationibus euincit.

20 Eiusmodi vota duplici nomine rescindenda esse.

21 Immeritò fractæ fidei accusari, qui à monachismo ad honestum aliquod viuẽdi genus concedunt: eosque triplicem habere defensionem.

CAP. XIIII.

De Sacramentis.

Primùm de Sacramentis in genere agit 1-17: deinde ad distributionem venit, & in ea versatur 18-26.

Quod ad primum attinet, primò, doctrina summam ponit 1-6: deinde, contra aduersarios eam vtrinque munit 7-17. primùm, contra eos qui vim Sacramentorum eneruant 7-13, deinde, contra eos qui nimium illis tribuunt 14-17.

QVID sit Sacramentum: nempe, diuinum in nos gratiæ testimonium, externo signo confirmatum: cum mutua nostræ erga ipsum pietatis testificatione.

2 De significatione vocis.

3 Promissiones suas Dominum Sacramentis nobis obsignare: neque tamen, propriè loquendo, tam vt sermonem firmet, quàm vt nos in ipsius fide stabiliat.

4 Eiusmodi igitur verbum intelligendum esse, hoc est, promissiones Dei; non rancum murmur, quum dicimus constare Sacramentum Verbo, & externo signo.

5 Sacramẽta quippe signacula esse, quorum adminiculo fidem adhibemus ijs, quæ in verbo scripta sunt.

6 In hunc etiam finem symbola fœderum dici: & nobis veluti columnas, ac specula esse.

7 Nec obstare, quò d impijs porrigantur: esse etenim nihilominùs testimonia gratiæ Dei. rationes, quæ contra hanc sententiam obiectari solent, friuolas, &

enerues esse. vnam scilicet, quòd hoc modo sequeretur fidem nostram, cum bona alioqui sit, fieri tamen meliorem (quod illi pro absurdissimo habent.)

8 Id cõfirmant, quòd ab eunucho requirat Philippus, vt toto corde credat, (qua fide, inquiũt, nulla potest maior esse) priusquam baptizetur. at verò quàm futilis sit tam ratio, quàm eiusdem confirmatio, clarè ostenditur.

Aliud obiectum, si fides per Sacramenta augeatur, frustra datum esse Spiritum Sanctum, cuius opus est inchoare, tueri, consummare fidem, nihil quoque pro ipsa facere. Ibid.

9 Nec arcanæ alicui Sacramentorum virtuti, nec quouismodo Sacramentis hoc ita assignari, quin totum id pendeat ab interiore Spiritus efficacia.

10 His ita constitutis, duo alia obiecta sua sponte facilè corruitura: quorum prius est, Si fidei, seu incrementum, seu confirmationẽ creaturis adscribimus, iniuriam fieri Spiritui Dei, quem solum eius authorem agnoscere decebat. hoc refutat, primùm dilucida sententiæ suæ explicatione, similitudine egregia illustrata:

11 Deinde, quoad incrementum, argumento à paritate sumpto; quòd Christus ipse, ac post eum Paulus apostolus eandem externo verbo proprietatẽ subesse doceant.

12 Quoad confirmationem, argumento à cõtrario mutuato; quòd nonnunquam Dominus, quando rerum ipsarum, quę in Sacramentis ab eo promissæ erant, fiduciam vult tollere, Sacramenta ipsa auferat.

Posterius, Si tantum virtutis illis tribuamus, Dei gloriam ad creaturas deriuari necesse est. huic quoque respondet ibid.

13 Postremò, quòd ex ipso demum Sacramenti nomine argumentum nonnulli afferunt, nihilq; volunt Sacramenta esse, quàm nuda quędam signa, ostendit quàm sit & illud infirmum.

14 Vt hactenus contra eos disputauit, qui vim Sacramentorum

ramentorum eneruant, vsumque prorsus euertunt, ita tũc ad alios venit qui ex aduersa parte nimium illis tribuunt; ac contra Scholasticos ostendit falsum esse quod asserunt, Sacramenta nouæ legis iustificare, & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis.

15 Id quò meliùs euincat, ex Augustino distinguit inter Sacramentum, & rem Sacramenti: vt intelligamus, quãtum in Christi communione proficimus per Sacramentà, tantum ex illis vtilitatis nos capere.

16 Hoc ipsum clariùs explicat: Sacramenta scilicet non causas, sed partes iustitiæ & salutis nostræ esse: &, quamuis ab indignis res Sacraméti non recipiatur, rem tamen Sacramenti semper Sacramento, quoties rite offertur, adesse.

17 Hoc vltimum aptissima similitudine explicat. ac generatim monet, ne, quæ ad amplificandam Sacramẽtorum dignitatem, paulo magnificẽtiùs à Patribus scripta sunt, ita intelligamus, vt arbitremur latentẽ aliquam virtutem Sacramentis adnexam esse, quæ à Christo, vel Spiritus operatione separata sit.

18 Ad secundam partem capitis veniens, nempe, vt de Sacramentis in specie agat, primùm contendit Sacramenti nomen adeo latè patere, vt omnia generaliter signa complectatur quæ vnquam hominibus mandauit Deus, vt certiores, securosq; de promissionum suarum veritate redderet; siue ea in rebus naturalibus, siue in miraculis exhibuit: ac vtriusque exempla proponit.

19 Deinde ad ea veniens, quæ Dominus ordinaria esse voluit in sua Ecclesia, ad alẽdos in vnam fidem suos cultores, primùm ostendit, quàm sint eiusmodi signa necessaria: partim ad fidem nostram confirmandam; partim ad testandam nostram apud homines religionem.

20 Deinde hæc ipsa de quibus nunc loquitur, in duo genera distribuit, veteris scilicet & noui Testamen-

ti: vtraque verò eôdem spectare; nempe, vt ad Christum veluti manu nos ducant.

21 Id primùm ostendit in Sacramentis Veteris testamenti.

22 Deinde in Sacramentis Noui testamenti.

23 Dogma igitur Scholasticum, quo tam longum discrimen inter veteris ac nouæ Legis Sacramenta notatur; perinde acsi illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrarent, hæc verò præsentem conferant, penitus explodendum esse.

24 Locos quosdam exponit, quibus tueri volunt suam sententiam: primùm eos, qui Circumcisionem extenuare videntur.

25 Deinde eos, qui vniuersam Legem cũ omnibus ceremonijs & sacrificijs suis in totũ damnare videntur.

26 Postremò eos, quibus veteres immodicè extulerunt nostra Sacramenta, quoties nostra cum Israeliticis compararunt. Eiusmodi verò illorum sententias & hyperbolicas esse; &, non de efficacia, sed de modo significandi intelligendas.

CAP. XV.

De Baptismo.

Primùm de duobus finibus Baptismi agit: de priore 1-12. de posteriore. 13. deinde, de legitimo eiusdem vsu, & alijs quibusdam qua ex vtroque proueniunt, 14-22.

QVID sit Baptismus: eum duos habere fines: priorem esse, vt fidei nostræ apud Deum seruiat. idque in tribus potissimùm constare: primùm esse quòd testetur peccatorum remissionem.

2 Quam peccatorum remissionem, quibusdam Scripturæ testimonijs comprobat.

3 Nec eam præteritorum tantùm, sed etiam futurorum esse. Hinc tamen in futurum peccandi licentiam captandam non esse.

4 Eo[s]

4 Eos qui inter Baptiſmum & pœnitentiam ita partiuntur, vt remiſſionem priorum Baptiſmo, ſequentium verò pœnitentiæ aſſignent, turpiter hallucinari.

5 Secundum eſſe, vt intelligamus nos in mortificationem & nouam vitam vnà cum Chriſto inſeri.

6 Tertium, vt ſciamus nos ſic ipſi Chriſto vnitos eſſe, vt omnium eius bonorum participes ſimus. Atque hæc duo poſteriora quò magis probet, primùm contendit vtrunque tam in Baptiſmo Ioannis, quàm Apoſtolorum perſpicuum eſſe.

7 Deinde in hunc finem, Baptiſmum Ioannis & Apoſtolorum vnum prorſus idemque eſſe.

8 Neque obſtare, quòd luculentiores Spiritus gratiæ à reſurrectione Chriſti effuſæ fuerint: vtcunque ipſius Ioannis teſtificatio eorum opinioni ſuffragari videatur.

9 Tertiò, hæc ipſa in populo Iſrael per tranſitum maris, & refrigerium nobis adumbrata eſſe.

10 Non tamen aſſentiendum ijs, qui docuerunt, per Baptiſmum nos eximi à prauitate naturæ, & in eandem naturæ puritatem reſtitui, quam initiò habuit Adam ante lapſum. Nam & eandem originalem prauitatem manere.

11 Et nunquam eam in nobis ceſſare: ſed ſemper nobis negotium faceſſere.

12 Hoc vltimum & exemplo & teſtimonio Pauli confirmat.

13 Alterum finem Baptiſmi eſſe, vt noſtræ apud homines confeſſioni ſeruiat. id qua ratione fiat oſtendit.

Quod ad ſecundam partem capitis attinet, primùm, de vſu Baptiſmi agit, 14 15. Deinde, de indignitate vel dignitate Miniſterii, 16-18. Tertiò, de corruptelis quibus inquinatum fuit hoc Sacramentum, 19. Poſtremò oſtendit, ad quos ſpectet eius adminiſtratio, 20-22.

14 Quod ad primum attinet, ex his quæ de finibus

Baptismi dicta sunt occasionem sumit docendi, quæ sit nobis vtendi accipiendique ratio: primum, quantum ad fidei confirmationem.

15 Quod ipsum Cornelij & Pauli exemplo illustrat: deinde, quoad fidei confessionem.

16 Nihil Baptismo afferri, vel auferri, siue dignitate, siue indignitate Ministri. rebaptizandos igitur non esse, qui sub Papismo baptizati sunt.

17 Nec satis firmum esse, quod sibi videntur tanquam ab effectis ducere argumentum, quia post Baptismum aliquot annis cæci & increduli mansimus.

18 Illud etiam valdè infirmum esse, quòd exemplo Pauli se muniant, acsi ille discipulos quosdam rebaptizasset: quod aliter intelligendum esse ostendit.

19 Hoc Sacramentum, quoad externam eius administrationé, multifariam & mirum in modum, seculis aliquot anteactis, hominum inuentis vitiatum esse.

20 A quibus administrari debeat: nempe ab Ecclesiæ ministris, non à priuatis, aut mulieribus. &, vnde hic abusus inualuit.

21 Tertullianum & Epiphanium hanc corruptelam minimè approbasse; imò & disertis verbis impugnasse.

22 Exemplum Sephoræ nihil pro illis facere. nec arceri à regno cælorum infantes, quos è præsenti vita migrare contingit, antequam aqua mergi datum sit: modò contemptus & negligentia absint.

CAP. XVI.

Pædobaptismum cum Christi institutione, & signi natura optimè congruere.

Primùm doctrinam ipsam confirmat, 1-9. deinde singula aduersariorum in genere argumenta diluit, 10-30. Postremò sigillatim cum Seruetо congreditur. 31-32.

PAEDOBAPTISMVM non hominum audacia, sed Dei institutione niti.

2 Id ex promissionum consideratione facilè demonstrari posse contendit.

3 Quales autem sint promissiones, quæ huic symbolo annexæ sunt, non meliùs perspici posse, quàm in Circumcisionis institutione.

4 Atqui promissiones & rem signatam in vtroque adeo vnum idemque esse, vt nulla prorsus dissimilitudo, nisi in exteriore ceremonia reperiatur.

5 Inde concludit, non minus Baptismum liberis Christianorum, quàm circumcisionem Iudæis competere. nec à signo arceri debere, qui rei signatæ participes sunt.

6 Ex fœdere quod cum Abrahamo Dominus pepigit, idipsum vrget: quòd Christi aduentu factum non sit, vt obscurior minusque testata sit nobis Dei gratia, quàm antè Iudæis erat.

7 Aliud argumentum (quo superius etiam confirmat) ab exemplo Christi, infantes comiter amplectentis, ducit: ipsumque munit aduersus contradicentes.

8 Quòd ab Apostolis negent vnquam factum fuisse, in eo plus dicere, quàm probare possunt. verisimiliusque esse, ipsos quoque infantulos baptizasse: &, totam antiquitatem ad Apostolos referre pædobaptismi originem.

9 Ex hac obseruatione fructum non contemnendum, cùm ad parentes ipsos, tum ad infantes qui aqua sacra tinguntur redire.

10 Quod ad eorum argumenta attinet, illud principiò examinat, quod ex dissimilitudine Baptismi & Circumcisionis captare solent. quumque hanc dissimilitudinem in tribus ponāt, quàm ineptè id faciant, sigillatim ostendit: nempe, nec res signari varias:

11 Nec fœdus vlla in re diuersum:

12 Et appellationem puerorum, non figuratam, sed

ſimplicem,& eandem vtrobique eſſe.

13. 14. 15 Quorum vltimum vt certiùs euincat, in tribus proximis ſectionibus, hoc ipſum proſequitur.

16 Reliqua omnia diſcrimina, quæ inter Baptiſmũ ac Circumciſionem inijcere moliuntur, nulla prorſus eſſe: quod ipſum duobus exemplis oſtendit.

17. 18. 19. 20. 21 Aliud eorum argumentum eſſe, dum cauſantur infantes non eſſe per ætatem idoneos, qui ſignatum illic myſterium aſſequantur: cui ſectiones quinque proximè ſequentes deſignat.

22 Alia quædam ipſorum argumenta curſim proſequuturum ſe profeſſus, illud proximo loco diſcutit, quòd negent Baptiſmum ad paruulos ſpectare, quia ſit in peccatorum remiſſionem adhibitum: quaſi ab omni peccato immunes infantuli eſſent.

23. 24 Quartum argumentum eſſe, quòd ex Apoſtolici ſeculi praxi ratiocinentur, neminem ad Baptiſmum admiſſum eſſe, niſi qui fidem antè, pœnitentiámque profeſſus eſt. Huic duabus iſtis ſectionibus reſpondet.

25 Quintum argumentum eſſe, quòd ex Chriſti verbis malè intellectis contendant, præſentem in Baptiſmo regenerationem requiri. Huic primùm reſpondet.

26 Deinde, ex genuino loci illius ſenſu contendit, explodendum eſſe eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant.

27. 28 Sextum argumentum eos ducere, ex præcepto & exemplo Chriſti, quòd priore loco iubeamur docere, deinde baptizare: &, quòd Chriſtus non ante trigeſimum annum baptizari voluit. Vtrique membro huius argumenti reſpondet: priori hoc loco.

29 Poſteriori.

30 Septimum argumentum eſſe, quòd negent maiorem eſſe cauſam cur infantibus Baptiſmus communicetur,

cetur, quàm Cœna Domini. Atqui contendit * latum in istis discrimen esse.

31 His ita peractis, ad vnum Seruetum descēdit, ac omnibus suis argumentis sigillatim respondet, id verò, & perspicuè & breuiter.

32 Quorsum Satan tanto impetu per Anabaptistas in pædobaptismum feratur: nempe, vt eximia illa consolatione, quæ ex eo redit, nos priuaret, & testificationem gratiæ nobis sensim eriperet.

* *Etsi V. Volfgangus Musculus in locis suis cōmunibus paulò aliter sentiat: at Caluin. hic noster (præsertim in fine huius sectionis) Cœnā scilicet in fantibus quoq; exhiberi posse, tanta tamen vtitur modestia, vt nulla meo iudicio reprehēsione dignus censeri possit.*

CAP. XVII.

De sacra Christi Cœna & quid nobis conferat.

Doctrina summam primùm tradit 1-11. ac deinde nodos quosdam soluit, 12-50.

Quod verò ad priorem attinet, primùm ostendit quidnam sit quod Deus exhibet 1-4. Deinde, quomodo & quatenus nostrum fit 5-11.

QVAE signa sint, & quorsum nobis instituta: nempe, vt mysterium vnionis Christi cum fidelibus testentur.

2 Magnum igitur esse fiduciæ ac suauitatis fructum qui ex hoc Sacramēto pijs animis redit: & qualis ille sit.

3 Solidam eius testificationem in Cœna Domini nobis commendatam esse: idque ex ipsis verbis clarissimè elucere.

4 Eorum vim eiusmodi esse, vt non tam nobis Christi corpus simpliciter, aut sine altiore consideratione; quàm idipsum in alimenrum nostrum porrigant.

5 Breuiter ex superioribus rursum complexus qualem se nobis offerat, & quibus rationibus, in quo prior applicationis pars consistit, ad alteram descendit: nempe, vt ostendat, quomodo sit à nobis recipiendus; nimirum fide: sic tamen, vt vlteriùs aliquanto progredi oporteat; non tantùm ad fidem, sed etiam ad fidei effectum.

6 Quod posterius membrum Augustini & Chrysostomi authoritate confirmat.

7 Nec satis esse, quòd hanc nostram cum Christo

communionem, nonnulli præterita carnis & sanguinis mentione, nihil quàm spiritualem esse agnoscant. huius tamen rei tantum esse mysterium, vt se fateatur non satis assequi, quomodo sit de ea statuendum.

8 Quod autem potest, huiusmodi esse: nullam omninò vitam esse nisi in Christo: eũ verò hanc habere duplici ratione: primùm à se ipso, vt est Deus: Deinde trãsfundẽdo eam in carnem quam induit, vt inde ad nos vitæ communicatio promanaret.

9 Id vbi ex Cyrillo, & similitudine docuit, nempe Christi carnem eo pacto viuificam esse, hinc ostendit qualis sit nostra cum illo communio.

10 Hanc communionem nulla distantia locorum impediri: eamque sic in Cœna consignari, vt in ea non inane symbolum, sed rem ipsam percipiamus.

11 Conclusio præcedentium, atq; adeò totius prioris partis istius capitis: nempe, duabus partibus constare mysterium Cœnæ, corporeis symbolis, & spirituali veritate: eas quoq; tria complecti, significationem, materiam, effectum.

Priore capitis parte absoluta, ad alteram transit: nempe, ad examinandas hyperbolicas mixturas, quas in Ecclesiam superstitio inuexit. Ac primùm, de Transubstantiatione 12-15. Deinde, de Consubstantiatione agit 16-19. Tertiò, institutionem ipsam contra hyperbolices istos doctores facere ostendit, 20-25. Quartò alijs rationibus è verbo Dei desumptis suam sententiam confirmat 26-27. Quintò authoritatem Patrum illis excutit, 28. Sextò, præsentiam euertit quam ipsi statuunt, aliamq; inducit 29-32. Septimò, ostendit qualis nostra debet esse communicatio, 33-34. Octauò adorationem arguit, & ostendit quorsum institutum sit Sacramentum, 35-39. Postremò de alijs quibusdam accidentibus agit, quæ ad participationem spectant, 40-50.

12 Quod ad primum attinet, ostendit qualem Christi præsentiam, crassam scilicet & carnalem Pontificij confingãt. eius verò quosdam ex suis puduisse: nec opus nobis esse eiusmodi participatione.

13 Verecundiùs Scholasticos: sed rationem deinde

de comminiſci, qua Chriſtum in ſpecie panis, vt vocant, collocant.

14 Hinc prodijſſe errorem Tranſubſtantiationis, contra Scripturam & veterum conſenſum confictum. Nonnullos verò conuerſionis voce vſos eſſe: ſed eo ſenſu, qui nullam tranſubſtantiationem admittat. nec aliter quadrare poſſe ſignificationem Cœnæ, niſi maneat ſubſtantia ſignorum exteriorum.

15 Ad impellendos in hunc errorem, & illud quoque nonnihil iuuiſſe, quod conſecratio apud eos tantundem valeat, ac magica incantatio: neſcientes interim principium illud, panem, nonniſi hominibus, ad quos dirigitur ſermo, ſacramentum eſſe. nulliuſq; momenti eſſe, quæ ex virga Moſis. & loco Ieremiæ captant effugia.

16 Alios, ſigni & rei analogia conſtrictos ſe videntes, nec tamen aliam quàm craſſam participationem cõcipere ſuſtinentes, ad Conſubſtantiationis patrocinium confugiſſe.

17 Quoque errorem ſuum tueantur, alios carnis Chriſti dimenſiones, quàm longè lateque cœlum & terra patent, extendiſſe: alios paulò argutiùs, corpus hoc quod in Sacramento datur, glorioſum eſſe & immortale contendere.

18 Ex hoc autem Conſubſtãtiationis errore neceſſariò ſequi, vt corpus & ſanguis Domini (quia ſigna ſpacijs inter ſe diſtant) à ſe inuicem diuellantur. eam verò quam nos ſtatuimus participationem, huic errori ianuas optimè occludere.

19 Ex aduerſo oſtendit, qualem nos in Cœna Domini Chriſti præſentiam ſtatuamus. quam accuratiùs etiam tueri & aſſerere operæpretium ducit.

20 Id quò meliùs præſtet, ipſam Inſtitutionem tractandam ſumit: præſertim vt oſtendat, quàm falſa inuidia nos grauant aduerſarij, cùm nos à Chriſti verbis diſcedere clamitent: eamque criminationem in ſua ipſo-

rum capita torqueri posse. quod genuina verborum interpretatione, & alijs quibusdam argumentis palàm facit.

21 Non aliam ob causam, quàm propter affinitatem, quam habent cum suis symbolis res signatæ, nomẽ ipsius rei esse symbolo attributum, ex quibusdam Scripturæ locis & Augustino ostendit.

22 Quàm nihil illos iuuet, quòd in voculis *Hoc est* tantopere insistant; quòd verbi substantiui tantam esse emphasim dicant, vt nullum schema admittat, multis exemplis euincit.

23 Istos non aliter ac Anthropomorphitas in syllabis laborare. Apostolos ne cogitasse quidem de re tam prodigiosa. aliud quoque absurdum sequuturum, si tam præcisè in verbis insistatur.

24 Hanc verò mendacij infamiam quò meliùs abstergat, aliam consimilem diluit; nos scilicet rationi humanæ ita addictos esse, vt nihilò plus tribuamus Dei potentiæ, quàm naturæ ordo patitur, & dictat communis sensus: eósque pessimè facere ostendit, quòd potentiàm Dei præter voluntatem prædicantes, ordinem sapientię Dei peruertunt,

25 Quod ipsum (vbi prius ostendit eos nullum verbum habere, quo de ea Dei volũtate edoceantur) fusiùs prosequitur: insani etiam præiudicij eos arguens.

26 Nunc, vt probet doctrinam quam tradidit ex puro Dei verbo sumptam esse, contendit corpus Christi sic reliquisse terras (secundum Scripturas) atque ita in cœlo semper manere, vt carnalem eius, quam somniant præsentiam, nullo modo in terris habere liceat.

27 Id toties repetitum ascensus nomen, &, eo ipso tempore quum ascenderet, angeli admonitionem luculenter docere.

28 Et quoniam Patres à se stare gloriantur, prolixitatis causa euitandæ hoc vnum dicit, quicquid ex Augustino

guſtino corradunt, id nihil pro ipſis facere, ſed eum totum noſtrum eſſe.

29 Quum verò, quicquid è Scriptura & Patribus contra ſuum dogma affertur, hoc vnico effugio eludere ſolent, dicentes præſentiam quam ſtatuunt inuiſibilem eſſe, primùm hoc effugium quibuſdam argumentis illis occludit, quę ſunt numero quatuor, & incipiunt, *Ac dum: Deinde ſi: Denique vel:* & *Quorſum enim:* Deinde diluit quæ contra ea argumenta, quartum verò maximè, obijcere ſolent: concluditque, eos ita nugando, etſi non vno quidem verbo, periphraſi tamen, ex carne Chriſti ſpiritum facere.

30 Vt illis detur quod garriunt de inuiſibili præſentia, fruſtra tamen tentare Chriſtum ſub pane includere niſi & immenſitatem ſiue vbiquitatem corporis eius euicerint: id verò admodum affine eſſe hæreſi Eutychis & Serueti. Locis quoque reſpondet, quos pro ſe citare ſolent.

31 Aliam carnis Chriſti præſentiam eſſe poſſe, quã craſſam illam quam iſti confingunt, dum eam in pane collocant: arcana ſcilicet Spiritus vnione.

32 Ea qualis ſit oſtendit, vbi nihil de modo audere ſe aſſerere faſſus eſt.

33 Atque ita complexus quæ ad ſacram Cœnam à parte Dei exhibentis ſpectare videbantur, nunc ad ea venit, quæ noſtras partes propiùs attingunt. noſtram ſcilicet communicationem, Spiritus ſancti operatione vel efficacia niti: & licet veræ & reali manducationi opponatur, quicquid de ſpirituali docemus, id tamen non niſi modum manducandi reſpicere. inde ſequi, canes vel reprobos (quod tamen ipſi volunt) non percipere corpus Domini.

34 Et quanuis Auguſtinum hac in parte ſibi ſuffragari iactitent, quòd Sacramentis nihil decedere infidelitate vel malitia hominum ſcripſerit, multis tamen e-

iusdem locis probat, eum longè aliter sensisse: Cyrillumq; eiusdem esse sententiæ.

35 Hinc ad arguendam adorationem transit. ac primùm ostendit, quàm infirma sit eorum de concomitantia coniectura: deinde, quantam sapiat temeritatem, quantumque à vera humilitate absit, signa prostratos adorare.

36 Quæ supra dicta sunt, Synodum Nicenam, veterem consuetudinem, & vniuersam Scripturæ seriem mentes nostras non signis affigere, sed in cœlum ad quærendum Christum erigere: Sacramenti verò adorationem manifestam esse idololatriam.

37 Vlteriùs progreditur, ac primò, eam adorationis formam Sacramento congruentem esse negat: Deinde suo ipsorum vitio Sacramentum non esse, quòd nullam habeant mandati reuerentiam, quo solo nititur promissio. Non igitur in adorationem datum esse hoc Sacramentum, sed in alios quosdam fines apprimè vtiles: primùm, vt excitet nos ad gratiarum actionem: deinde, vt exerceat nos in recolenda mortis Christi memoria.

38 Tertiò, vt nos animet, inflammetq; cùm ad puritatem & sanctimoniam vitæ, tum ad charitatem & pacem erga alios omnes. quorum posterius tantùm hoc loco prosequitur.

39 Hinc liquere, quàm longè à Sacramenti natura absit, quòd mutam actionem faciant; & aliquoties reponant, quod ægrotis extra ordinem distribuant.

40 Ad eos transiens, qui ad mensam Domini accedunt, primùm ostendit quales sint qui indignè accedunt, & quàm graue iudicium ipsis immineat. Deinde, ex eo concludit, vnumquenq; debere se ad examen adigere: &, quale sit illud examen.

41 Examen, quod vulgò Pontificij statuunt, dirum potiùs tormentum, quàm examen esse, vnaque omnes à Cœna arcere.

42 Quale

42 Quale sit verum illud examen, & qui sunt qui dignè accedunt.

43 Quod ad externum actionis ritum spectat, multa esse indifferentia, ideoque malè à quibusdam ad necessitatem quandam restricta esse: &, quomodo Cœna Domini quàm decentissimè administrari queat.

44.45 Cœnæ participationem omnibus Christianis frequentem esse debere, ex purioris Ecclesiæ praxi, & veterum institutis ostenditur: & quàm seuerè quidam è Patribus hac in parte populi socordiam damnarint.

46 Consuetudinem, quæ semel quotannis communicare iubet, certissimum esse diaboli inuentum, licet ex fonte primùm non admodum malo promanasse potuit.

47 Diaboli similiter inuentum esse, quòd in Cœna Domini poculum laicis denegatum est. nihilque eos iuuare, quòd pericula hoc pacto declinare se dicant: nec propter concomitantiam sanguinis in corpore, necesse non esse vt vtrunque distribuant.

48 Duo alia effugia illis occludit: eorumque posterius, calicem scilicet ad solos sacrificios pertinere, vsque ad finem capitis prosequitur; quinque postulata proponens: duo hoc loco.

49 Quorum secundum fusiùs explicat, validiusque confirmat.

50 Reliqua tria.

CAP. XVIII.

De Missa Papali: quo sacrilegio non modò profanata fuit Cœna Christi, sed in nihilum redacta.

Primùm ostendit quomodo, quotq; modis Missa sit impium & non ferendum sacrilegium, 1-7. Deinde, de origine Missæ, 8. 9. Tertiò, de eo speciatim agit, quòd Sacrificium dicta sit, 10-12. Quartò pleniorem de Sacrificijs, ea occasione, tractationem subiungit, 13-18. Postremò viam sibi munit ad sequentem tractationem de quinque falsò nominatis Sacramentis, 19-20.

IPSAM Missæ actionem sic institutam esse, vt, quantacunque sub specie boni lateat, sit tamen iniquissimum

sacrilegium,ex quinque quas habet proprietates, manifestum esse.

2 Primam esse,quòd quicunque Missam peragunt, sacerdotes necessariò esse oporteat.id autem sine insigni Christi contumelia,qui vnicus,& æternus Sacerdos cóstitutus est,fieri non posse.

3 Secundam, quòd crucem & passionem Domini obruit,dum aliud sacrificium erigit.quumque duo se putent habere effugia,neutro tamen posse elabi.

4 Locum Malachiæ nihil pro Missario sacrificio facere.

5 Tertiam, quòd veram & vnicam mortem Christi obliteret,& ex hominum memoria excutiat.

6 Quartam,quòd fructum, qui è morte Christi ad nos redibat,nobis præripiat.

7 Quintam,quòd Sacramentum, quo mortis Christi memoria relicta erat,eneruet ac dissipet: idque multifariam.

8 Vnde Missæ nomen natum sit,non satis constare: eam autem cum Christi institutione ex diametro pugnare.

9 Id,quò meliùs euineat, primum in genere affirmat, eiusmodi peruersitatem puriori Ecclesiæ incognitam fuisse: Deinde ostendit, quàm iniquè Sacrificium putetur.

10 Nonnullos è veteribus Cœnam dixisse Sacrificium: sed non eo sensu,qui huic sacrilegio patrocinetur. nihil enim aliud intellexisse,quàm memoriam veri illius & vnici Sacrificij,quod in cruce peregit Christus.

11 Quosdam tamen ex illis ad Legis vmbras nimis deflexisse: ac proinde nihil tutiùs quàm Dei verbo, cuius hæc est Cœna totos inniti.

12 Magnum esse discrimen inter Mosaica Sacrificia,& Cœnam Domini: &,in quibus differant.

13 Quò verò dilucidior, & à maleuolorum calum-

nijs

nijs magis immunis sit hæc disputatio, paucis expedienda sumit, quid per sacrificium, quid per Sacerdotem hactenus significarit. Sacrificium scilicet aliud expiatoriũ, aliud Eucharisticum. secundum priorem sensum, nullum aliud esse, nisi Christi mortem.

14 Hoc sensu nec Cœnam Domini Sacrificium esse; nec Sacerdotes posse dici qui eam administrant.

15 Eiusmodi vanitatem vel ipsum Platonem satis coarguisse, dum eos admodũ salsè derideat, qui tali Sacrificio nixi securiùs agunt, quòd talibus piaculis pœnas redimi opinentur.

16 Ad alterum genus omnia pietatis in Deum, & charitatis in proximum officia spectare. hoc genus nihil ad iram Dei placandam, pertinere: sed in magnificando duntaxat, & exaltãdo Deo versari. nec posse ab Ecclesia separari.

17 Eiusmodi opera non tantùm in Nouo testamento, sed etiam in Vetere Sacrificiorum nomine insignita fuisse. hoc sensu fideles omnes Sacerdotes esse.

18 His ita positis, concludit, Missæ abominationem clariorem esse, quàm vt eam quisquam nesciat: calicem esse, quo inebriati sunt reges terræ; &, ipsam Helenam.

19 Breuiter eorum summam repetit, quæ de duobus Sacramentis tenere conuenit: simulq; ostendit, cur Cœna sæpiùs iteretur, Baptismus non item. nec alium quempiam posse erigere noua Sacramenta.

20 Fideles sub regno Christi hisce duobus contentos esse debere, vtcunque Iudæis varia data fuerint. atque in hunc finem dicta hæc esse nouissima tempora: ne quis vana nouæ alicuius doctrinæ aut reuelationis expectatione sese fallat.

CAP. XIX.

De quinque falsò nominatis Sacramentis: vbi Sacramenta non esse quinque reliqua quæ pro Sacramentis hactenus vulgo habita sunt, declaratur; tum qualia sunt ostenditur.

Quædam primùm in genere de vniuersis præmittit, 1-3. Ac deinde ad species descendit, seorsim de singulis differens. 4-37.

SE hanc de nomine contentionem minimè litigandi cupiditate suscipere, sed grauibus causis adduci ad impugnandum eius abusum.

2 Non posse homines Sacramenta instituere: idque non nisi penes Deum vnum esse: Deinde, & vtile esse, vt aliquod discrimen inter Sacramenta & alias ceremonias retineatur, ne omnia in Sacramenta transirent.

3 Nusquam apud Ecclesiasticos scriptores numerum septenarium inueniri: & Augustinum duo tantùm hoc genus Sacramenta agnouisse.

4 Ad ipsas species descendens, ac primùm ad *Confirmationem*, ostendit qualis olim fuerit.

5 Deinde, qualis pòst introducta sit, & quàm falsò Sacramentum nominarint.

6 Quum verò duo sint quibus hanc suam temeritatem tueri solent, exemplum scilicet Apostolorum, & vetustatis consuetudo, quod ad prius attinet, proposito Apostolorum exemplo, id contendit nihil simile cum iniqua sua imitatione habere.

7 Hoc ipsum simili Christi exemplo magis illustrat: pressiusque vrget, quòd præter illud quod citant Apostolorum exemplum, oleum non tantùm addiderint, sed etiam sacrilego titulo insignierint, dum vocant oleum salutis.

8 Quò verò meliùs idipsum doceat, Confirmationem istorum propius inspiciendam, diligentiusque examinandam

aminandam monet. hinc enim tria impia commenta emerſura eſſe: primùm quòd dicant Spiritum ſanctum in Baptiſmo ad innocentiam dari; in Confirmatione, ad gratiæ augmentum: in Baptiſmo nos regenerari ad vitam; in Confirmatione nos ad pugnam inſtrui.

9 Aliud eſſe, quòd ſecundùm eos pleni Chriſtiani eſſe non poterint, niſi hac ratione.

10 Tertium, quòd hanc ſuam vnctionem in maiore veneratione haberi volunt, quàm Baptiſmum: idq; primùm, quòd à digniore conferatur: (qua ratione Donatiſtas ſe eſſe produnt.)

11 Deinde, quòd in digniore parte corporis fit: tertiò, quòd maius virtutum augmentum conferat, vt ipſi fabulantur.

12 Quod ad conſuetudinis iſtius vetuſtatẽ attinet, primùm negat, hanc, ſi ita eſſet, illis patrocinari poſſe: Deinde, oſtẽdit, nihil tale Patribus notum fuiſſe: quumque de Confirmatione locuti eſſent, aliud longè ab iſtis ſenſiſſe.

13 Veterem illam Confirmationem eiuſmodi fuiſſe, vt eam reſtitutam optet.

14 Quod ad *Pœnitentiam* ſpectat, primùm oſtendit, quis apud veteres vſus fuerit ſolẽnis illius manuum impoſitionis, quòd eam faciant veluti fundamentum eius ſacramenti.

15 Deinde, inter eos ipſos non conuenire, qua ratione, vel quo ſenſu Pœnitentia dicatur Sacramentum. quicquid autem ſit, definitionem Sacramenti minimè ei conuenire.

16 Longè ſpecioſiùs eos abſolutionem ſacerdotis quàm pœnitentiam ſacramentum nuncupare potuiſſe: non obſtante, quòd ſacerdotes non ſemper efficaciter abſoluant, quod illi contrà obijci poſſe verentur.

17 Quacunq; in parte ſacramentum poſuerint, Sacramentum verè non eſſe: eoq; licentiùs peccaſſe, quum

tali elogio eam ornarent, ſecundam tabulam poſt naufragium vocitantes.

18 Tertium fictitium ſacramentum eſſe extremam *vnctionem*. primò diſcutit qualis ſit; deinde, quid ſit de loco illo Iacobi, quem in ſuum patrocinium accerſunt. ſentiendum.

19 Nulla maiore ratione poſſe ex hac vnctione Sacramẽtum facere, quàm ex alijs quibuſuis ſymbolis, quæ nobis in Scriptura commemorantur: nec vim vllam hodie ſuæ vnctioni eſſe.

20 Iniurios eſſe Spiritui ſancto, qui putidum, & nullius energię oleum faciunt eius virtutem. vtcunq; autem ſit, Sacramentum non eſſe.

21 Quantum interſit inter Iacobi vnctionẽ, & iſtorum pinguedinem.

22 Quartum locum in eorum catalogo tenere ſacramentum *Ordinis*. id adeo fœcũdum eſſe, vt ſeptem ex ſe ſacramentula pariat. De quibus dicturus duo diſcutiẽda proponit: primùm, quot & quàm inſulſas abſurditates nobis ingerant, dum nobis ſuos ordines pro ſacramentis commendare volunt. ac primò, quòd ſeptem faciant, id oſtendit ab inſcitia, & nimia incogitantia promanaſſe: nec inter ipſos conuenire, quot, quive ſint ordines.

23 Deinde, quàm iniquè in ſingulis Chriſtum ſibi collegam faciant, quò ſuas ineptias magis commendẽt.

24 Tertiò quòd eorũ maxima pars nihil aliud ſint, quàm vana nomina, nullum certum munus ſecum trahentia.

25 Deinde, ad ſecundum illud veniens, nempe ad inueſtigandum, an ceremonia qua vtuntur in ordinãdis miniſtris, dici debeat Sacramentum, primùm oſtendit quanta vanitate eos in vertice radant.

26 Vbi etiam oſtendit, quàm ineptè coronam hanc ſuam aut à Nazaræis, aut à Priſcilla, Acyla, & Paulo deducant.

27 Vnde

27 Vnde originem habuerit hæc eorum tonſura, ex Auguſtino docet. Deinde vbi de raſura ſatis dixit, alias ineptas ceremonias recitat, quibus Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, & Acoluthos conſecrant: has omnes indignas eſſe contendens, quæ Sacramenti nomine inſignianțur.

28 Tertiò, ad Sacerdotes vel Presbyteros veniens, primùm oſtendit ipſum munus (vt apud eos eſt) Chriſti Sacerdotio iniurium eſſe, quòd & ipſi placationis hoſtiam ſe offerre profiteantur.

29 Deinde, ad ceremonias deſcendens, primò oſtendit, quàm inconſideratè ab exemplo Chriſti Inſufflationem imitati ſint.

30 Deinde, vnctionem eorum improbat.

31 Poſtremò, impoſitione manuum negat hîc locum habere.

32 Quartò ceremonias taxat quibus ordinantur, primùm Diaconi:

33 Deinde Subdiaconi. ac de omnibus in vniuerſum concludit, Spiritum ſanctum iſtis ineptijs minimè includi: ob eamque cauſam, eas non mereri Sacramentorum nomen.

34 Poſtremum eſſe *Matrimonium*: id Sacramentum non eſſe, quò meliùs probet, primùm rationes eorum tollit, & contendit multa Sacramenta protinus emerſura, ſi perinde ac illi faciunt, ratiocinari liceret.

35 Deinde locum Pauli interpretando, nihil pro illis facere docet.

36 Tertiò indicat, quomodo factum ſit, vt in hunc errorem inciderent: nempe, ex Sacramenti voce malè intellecta: ac deinde tres abſurditates enumerat, quæ ſtatim irruunt, vt primum conceditur Matrimonio Sacramentum eſſe.

37 Poſtremò, vbi id ſemel obtinuere, ad ſe quoque vnà traxiſſe cauſarũ Matrimonialiũ cognitionẽ: legéſq;

ſanxiſſe, quibus tyrannidem ſuam firmarent, partim in Deum manifeſtè impias; partim in homines inquiſſimas: quarum nonnullæ ibidem recitantur.

CAP. XX.

De politica adminiſtratione.

Primùm in genere quadam præmittit, 1-3. deinde, in tres partes rem totam diuidens, ſingulas ſeorſim proſequitur 4-32.

VBI de ſpirituali regimine quæ reſpicit animam abunde locutus eſt, ad alterum illud, quod ad inſtituendam ciuilem vitam ſpectat, ſe neceſſariò deſcendere. idque vt duplici malo occurrat: maximè verò, quòd barbari & amentes homines ordinem hunc diuinitus ſancitum, furioſè euertere conãtur. id verò quum ob eam cauſam faciant, quaſi aliter libertas Chriſtiana ſtare nequeat, aduerſus eos oſtenditur, politicam adminiſtrationem non aduerſari Chriſtianæ libertati.

2 Quumque ciuilem adminiſtrationem clamitẽt, & indignam eſſe homine Chriſtiano; &, eiuſmodi in ſe eſſe, vt Chriſtianæ profeſſioni ex diametro repugnet, contra vtrumque oſtenditur eiuſmodi eſſe, vt vel in hac vita immortalitatem quodammodo auſpicetur; & nobis apprimè ſit neceſſaria.

3 Hoc ipſum proſequitur: probans ciuilem adminiſtrationem non tantùm in rebus terrenis nobis vſui eſſe; ſed etiam ad Chriſti regnum, & tuendum, & propagandum. Deinde, quò res tota clarior euadat, in tres partes diſtribuit hanc de qua loquitur adminiſtrationem: nempe, in Magiſtratum, Leges, & Populum; de ſingulis ordine dicturus.

4 Magiſtratuum functionem, & nobis à Domino honorificentiſſimis elogijs commendatam, & piorum exemplis, qui in ea ſanctè verſati ſunt.

5 Nec ſatis firmum eſſe quòd obijciunt, eam rudi olim populo deſignatam fuiſſe, nobis autem hodie non item.

item. magiſtratuum ſiquidem patrocinio & tutelæ ſtatum Eccleſiæ hodie commendari.

6 Ex ea cogitatione magnum ad ipſos magiſtratus fructum redire: quum eos & optimè doceat, quanta æquitate & diligentia in ſuo munere verſari debeant, & præclara fulciat conſolatione.

7 Qui ſacrum hoc Miniſterium inſectantur, nõ magiſtratum reprobare, ſed Deum abijcere ne ſuper ſe regnet: non obſtante, quod obijciunt, voce Chriſti dominium interdictum eſſe. nec referre, quæ ſit gubernationis forma, quum de præſtanda obedientia diſputamus, quum omnes à Deo ordinatas eſſe Paulus contendat.

8 Tres præcipuè formas eſſe regiminis ciuilis. vtra melior ſit, definiri certò non poſſe. Ariſtocratiam vitio regum potiorem videri: omnes verò à Deo eſſe.

9 De officio Magiſtratus dicturus, nempe in quem finem ſit à Deo poſitus, munus ſuum oſtendit ad vtranq; tabulam extendi: nec inſtitutum eſſe tantùm vt ciuilibus iudicijs vacet; ſed etiam, vt multo magis religionis curam habeat: ob eamq; cauſam poteſtate armatum eſſe; præmio ſcilicet, & pœna.

10 Contra eos qui vindictam vel ſanguinis effuſionem eſſe eius generis contendunt, vt Chriſtianos minimè deceat, oſtendit Magiſtratus adeò non peccare ſceleratos puniendo, vt hæc ſit vna è regijs virtutibus, pietatiſque eorum approbatio. nimiam clementiæ affectationem valde perniciosam eſſe: ex altera verò parte ſẽper cauendum ne abſit clementia.

11 Inde ſequi, ea omnia bella quæ ad exercendam publicam vindictam ſuſcipiuntur, iuſta eſſe.

12 Non obſtare quod obijcitur ex Nouo Teſtamẽto, nullũ extare vel teſtimonium vel exemplũ, quod doceat bellũ rẽ eſſe licitã Chriſtianis, tribus rationibus probat. hîc autem in vtroq; cauendum, ne cupiditatibus ſuis, aut proprio affectu magis, quàm publico ſenſu ducan-

tur. hinc etiam sequi, vt præsidia, fœdera, & ciuiles aliæ munitiones licita sint.

13 Vtq; Magistratus iure possint vectigalia exigere: quamuis & hîc quoq; cauendum illis est, vt quicquid audent, id pura coram Deo conscientia audeant.

14 Ad secũdam partem tractationis veniens, nempe, vt de legibus tractet, vbi paucis exposuit, quanta sit eorum cùm vtilitas, tum etiam necessitas, eos erroris coarguit, qui rectè compositam rempublicam negant, quæ neglectis Mosis politicis, communibus Gentium legibus regitur. id quò meliùs cõfirmet, primùm tripartitò Legem distribuit, in Mores, Cæremonias, & Iudicia.

15 Deinde indagato singulorum scopo, concludit, singulis gentibus *libertatem relictam esse condendi, quas sibi conducere præuiderint leges; modò ad perpetuam charitatis regulam exigantur.

16 Id planum fieri si in Legibus omnibus duo considerentur, æquitas scilicet, & constitutio: quarum prior semper vna eademque est; ideoque nunquam variare debet: altera, quia à circumstantijs pendere debet, diuersa quandoque necessariò erit. idque exemplis quibusdam ostendit.

* *Libertatem, de qua loquitur, tam auidè arripiunt multi: quàm, qua subsequitur æquitatem, vt oportebat, admittunt pauci. Quo fit, vt officij nostri ratio nunc flagitet, quoties illud vt æquum est concedimus, vt simul ex altera quoque parte Magistratus omnes politicos admoneamus, diligenter vt caueant, ne cuius sustineant personam immemores, sua potiùs quàm domini exercere iudicia malint. Nam vtcunque legum Iudicialium syllabis, eos semper & vbique alligandos esse nemo sanus est qui velit: æquum tamen est vt homines de offensis in genere statuant, quemadmodum absolutissima illa iudicij diuini æquitas delineauit, maximè verò, quòd & huius maiestas potissimum læsa sit: & cuique peccato quantum insit mali, ipse omnium optimè norit. Et, ecquis est qui non videat, postquam magistratus quidam sibi permiserint, vt ab æquitate iudicij diuini securi exorbitarent quàm negligenter opus domini quandoque administrarint? Hoccine verò aptiùs aliunde potuit, quàm ex hoc vno fonte promanasse? Neque enim idolorum cultoribus, adulteris atheismo, & omnis puræ religionis præfractissimis contemptoribus mundus vnquam repleri potuit, ni homines melius, quàm deus, vidissent, qua moderatione isti coercendi essent. Ex hoc genere vnum est, quod iugulum causæ (vt dicitur) petit: de quo Augustinus olim non rectè sentiens, suam postea mutauit sententiam. 2. Retr. 5. to. 1. & Epist. 48. & 50. to. 2. Nos verò ad apertam lucem semper opinor cacutiemus. quò meliùs hic rursus exclamat poeta:*

O Pudor! O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis! Horat.

Tertiam

Tertiam tractationis partem de populo esse. vbi primùm exponit, quis legum, iudiciorum, magistratuum vsus ad communem Christianorũ societatem redeat 17-21: deinde, quantum magistratibus debeant priuati homines deferre, & quousq; obedientia progredi debeat 22-32.

17 Quod ad prius attinet, vt ostendat superuacuum non esse munus Magistratus inter Christianos, diuinitus ordinatum esse contendit, vt eius manu ac præsidijs aduersus flagitiosorum hominum improbitatẽ & iniurias defensi; quietam ac securam vitam agamus. hîc verò cũ duplici hominum genere agendũ esse. prius eorum esse, qui inter litigandũ impotentia animi modum excedunt.

18 Quæ sit moderatio, ad cuius normam istiusmodi homines exigere se debent.

19 Alterum, eorum esse, qui iudiciarias omnes disceptationes præcisè damnant. Istos verò sanctam Dei ordinationem simul repudiare: quumque tribus præcipuè locis suam sententiam tueri soleant, eos omnes sigillatim exponit. primùm, quod aiunt, Christianis omnibus interdictam esse vindictam.

20 Deinde, quòd Christus videatur prohibuisse resistere malo.

21 Postremò, quòd aiunt Paulum in vniuersum lites Corinthijs damnasse.

22 Quod ad posterius spectat, duo potissimũ esse, quæ magistratibus priuati debent: primùm, vt de eorum functione quàm honorificentissimè sentiant.

23 Deinde, vt obedientiam præstent; minimè tumultuantes, nec in partes magistratus temerè irrumpentes.

24 Hæc bonis principibus vtcunque se debere fateantur omnes, multos tamen esse, quibus persuaderi non potest, ea ipsa tyrannis deberi.

25 Verum Dei verbum iubere, vt non tantùm bonis subditi simus; sed etiam omnibus qui rerum potiuntur, etiamsi nihil minùs præstent, quàm quod ex officio

erat principium.

26 Id vt obtineat, duo ex Scriptura probat: primùm, non ſine Dei prouidentia, ac ſingulari actione reges conſtitui: deinde, ex eo admonitiones duci, vt ijs pareamus: primùm, ex Daniele, cap. 2. c. 21. & f. 37.

27 Deinde, ex Ieremia, cap. 27. a. 5-12.

28 Nec obſtare quod obijciunt, mandatum illud fuiſſe Iſraelitis peculiare: quum omnes ex æquo doceat, cuicunq; delatum fuerit imperium, ei ſeruiendum eſſe. Id quibuſdam teſtimonijs, & exemplo Dauidis probat.

29 Quibus cogitationibus impatientiam ſuam frænare debent, qui ſub huiuſmodi impijs & flagitioſis tyrannis viuunt.

30 Interim tamen Dominum ſolere tyrannorum licentiam frænare: idque duobus modis facere.

31 Vtcunque hoc vnum priuatis hominibus ſemper incumbit, vt ſuis principibus quicunq; tandem fuerint, ſeſe ſubdant, hoc tamen non obſtare, quin populares quidam magiſtratus eſſe poſſint, penes quos ſit ferocienti Regum licentiæ intercedere, & populi libertatem tueri.

32 Quatenus Magiſtratibus obediendum ſit, quoties eorum placita cum Dei verbo pugnare comprehenduntur.

FINIS.

25 1932
1082
6/-

Brown 1935
BT/-